



403

I. C.
INS. "LUIS VIVES"
DEPARTAMENTO DE FILOSOFIA ESPAÑOLA





II-3%

RESP/9004

BEATI

RAYMUNDI

LULLI

DOCTORIS ILLUMINATI

ET

MARTYRIS.

LIBER

MAGNUS CONTEMPLATIONIS
in Deum.


JVXTA MOGVNTINAM EDITIONEM
in folio Anni MDCCXL.

IN VARIOS TOMOS DISTRIBUTUS.
Tomus III.

PALMÆ MAJORICARUM
anno MDCCXLVII.

Superiorum permisso.

Typis Michaelis Cerdà & Antich, & Mi-
chaelis Amoròs Typogr.



BEATI

RAYMONDI

LIVII

DOCTORIS ILLUMINATI

MARTINIS

LIBER

MAGNUS COMMENTATIONES

in Deum

INTRA MODICAM EDITIONEM

in fine anni 1800

IN VARIOS TOMOS DISTRIBUTUS

Tomus III

PAULI MAJORICARUM

1800 MDCCLXVII

Typis Martinus Gress & A. Sch. 2. M.

Chapin & Sons, Typogr.

BEATI I. C.
 INSTITUTO LUIS V.
 DEPARTAMENTO DE FILOSOFIA ESPAÑA
 LXXII

DOCTORIS ILLUMINATI
 ET
 MARTYRIS
MAGNVS LIBER
 CONTEMPLATIONIS
IN DEVM
 DISTINCTIO XIV.

De Divino Dominio.

CAPUT LXVI.

*Quomodo sit conveniens & rationabile nos-
 trum Dominum DEVM esse supremum
 Dominum per exaltationem
 Nobilitatis.*

1.
a.



DEVS excellens, Do-
 mine gloriose, abundans
 in omnibus bonis! Tuo
 honorato Dominio de-
 tur omnis laus & ho-
 nor & virtus, quia val-
 de

2. *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

de dignum est Te esse nostrum Dominum, quoniam es æternus & infinitus & nos sumus principiati & finiti.

2. Quia Tibi, *Domine*, est proprium habere infinitatem & Æternitatem, & nobis habere finitatem & principium, est valde conveniens, quòd sis noster Dominus; quoniam valde conveniens est, quòd res habentes principium & finem sint servæ & subditæ rei infinitæ, æternæ & perfectæ sinè ullo defectu.

3. Unde benedicta sit, *Domine*, tua magna Virtus & tua magna Bonitas; quia ratione magnitudinis tuæ Virtutis & Nobilitatis convenit, quòd sis Dominus omnium rerum, quæ Tibi non sunt æquales in Virtute & Bonitate.

4. b. *O benedictæ Domine in omnibus rebus!* Cùm sis adeò potens, quòd habeas Potestatem super omnia, quæ sunt in *esse*, & etiam super omnia, quæ non sunt in *esse*, justum & dignum est, quòd sis Dominus ratione tuæ magnæ Potestatis, ratione cuius mereris esse Dominus.

5. *Hu-*

5. *Humilis Domine!* Cùm in Te sit omnis Scientia & omnis Sapientia ita, ut nihil sit Tibi occultum, & nulla res extra Te habeat omnem scientiam & sapientiam, dignum est, quòd sis Dominus super omnia Dominia, & quòd omnia sint subdita tuo honorato Dominio.

6. *O Domine gratiose, benigne!* Cùm omnis Æquitas & Justitia sit in Te, & in nulla re sit tanta æquitas & justitia, quantà est in Te, ratio requirit & demonstrat Te esse magis dignum Dominio, quàm ullam aliam rem; quoniam dominium non pertinet ad rem, in qua deficit justitia & æquitas.

7. c. *Beate Domine, plene omnibus bonis!* Qui est Dominus firmamenti & elementorum & omnium animalium & omnium metallorum & omnium vegetabilium oportet, quòd sit abundans omnibus Virtutibus & Nobilitatibus & Honorificentis.

8. Nam si ita esset, *Domine*, quòd Dominus omnium istarum rerum tam magnarum & nobilium & altarum esset defectuosus

4 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

fectuosus in virtutibus & nobilitatibus , non esset dignum , quòd ipse esset Dominus earum.

9. Igitur , cùm Tu, *Domine DEVS*, sis adeò perfectus in Bonitate & in omnibus Virtutibus, quòd intellectus non sufficiat ad intelligendum , nec aures ad audiendum , nec os ad loquendum , nec oculi ad videndum tuam magnam Bonitatem & tuas magnas Virtutes, dignum est Te esse Dominum omnium rerum , quia es supremus in Virtutibus & in Bonitate.

10. d. Cùm Tu, *Domine DEVS* , sis adeò conveniens & dignus Dominio per multas rationes , valde miror de gentibus mundanis, quomodo possit esse, quòd erubescant Tibi servire & Te honorare in hoc mundo ; quia multi & plerique homines erubescunt amare & honorare Te & servire Tibi ratione hominum mundanorum, qui irrident & reprehendunt eos.

11. Unde , si ita esset, *Domine*, quòd non esses dignus esse Dominus propter aliquos defectus, qui essent in Te , non esset

mi-

mirum, si homo erubesceret Tibi servire; sed, cum sis adeò dignus Dominio, & tuis servis sis adeò magnus adjutor & abundans bonis temporalibus & spiritualibus, est valde mirum, quòd ullus homo erubescat tam nobilem Dominum, sicut Tu es, amare & honorare, & ei servire.

12. *Honorabilis Domine!* Cum Tu sis adeò abundans Pietate & Misericordiâ & Gratiâ erga tuos subditos, & sis adeò nobilis & mirabilis & virtuosus Dominus, magnam hæresin & ingratitude[m] reputo, quòd ullus erubescat amare & honorare Te, & servire Tibi propter homines discognoscentes tuum honorem & beneficium, quod recipiunt à Te.

13. c. *O Domine sancte, gloriose!* Tuum Dominium non movetur nec mutatur nec alteratur nec corrumpitur, imò stat firmum & securum ita, quòd nullum aliud dominium sit dignum esse in esse nisi tuum.

14. Cum omnia alia dominia, Domine, mutantur, corrumpantur & debilitentur

6 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

tur præter tuum, ideo est valde rationabile
nullum aliud dominium esse *in esse*, nisi
tuum tantum.

15. Unde benedictus sis, *Domine DE-*
VS; quia sicut nos meremur esse servi, &
possideri à Te ratione nostrarum miseria-
rum & culparum & defectuum, ita & ad-
huc multò meliùs mereris Tu esse Domi-
nus ratione magnæ Perfectionis & magna-
rum Virtutum, quæ sunt in Te, & quæ ve-
niunt à Te.

16. f. *O sapiens Domine, perdurabilis,*
excellens: Mirabiliter demonstratur & sig-
nificatur Te debere esse Dominum, & nos
servos; quia omnibus modis & rationibus
demonstratur Te debere esse Dominum,
& nos vasallos & servos & subditos tuo
alto Dominio.

17. *Domine DEVS*: Sicut per omnes
modos & rationes demonstratur & mani-
festatur Te non debere nec posse esse va-
sallum nec subditum ulli creaturæ, ita per
omnes rationes & causas demonstratur nos
non debere esse Dominos, imò debere esse

Vol. I. Lib. II. Dist. XIV. Cap. LXVI. 7
vasallos & subditos.

18. Nam impossibile est, *Domine*, quòd Tu, qui es infinitus & æternus & innocens & totus completus omnibus bonis, sis subditus ulli rei; quia omnis alia res, præter Te, est finita & terminata & carens nobilitatibus, quæ sunt in Te.

19. g. Sanctitas & Gloria & Honor dentur tuo Dominio, *Domine DEVS*, quia Ratio & Justitia adeò requirunt Te esse Dominum, quòd justum & dignum sit Te esse æquè bene Dominum malorum, sicut bonorum, & rerum vilium, sicut nobilium.

20. Unde, cùm ego sim res adeò vilis & culpabilis, Tibi, *Domine DEVS*, quoad me non est dignum nec justum, quòd sim servus & subditus tam nobilis & alti Domini; sicut est tuum; sed, quia Tu mereris esse Dominus omnium rerum, ideo debeo esse tuus servus & captivus, quamvis sim res vilis & misera.

21. Omnes populi & omnes gentes, *Domine*, debent valde latari de tuo Dominio

minio & de servitute, in qua sunt sub ipso; quia melior gratia & beatitudo, quam vassallus possit habere, est, quòd habeat bonum & nobilem & gratum Dominum: igitur beati sunt omnes populi, cum habent tam benignum Dominum, sicut Tu es.

22. h. Plorando, suspirando, anxie confitendo poenitet & reprehendit se, *Domine*, tuus servus de suis gravibus delictis, quæ sunt mirabiliter magna; quoniam fecit duos malos dominos in hoc mundo, qui sunt dæmon, & concupiscentia hujus mundi; quia propter duos tam viles dominos non debuisset oblivisci nec contemnere tuum honoratum Dominium.

23. Nam, si ego, *Domine*, fuisset sapiens, non me fecissem vassallum diaboli; quia ipse est adeò mala & culpabilis res, quòd non mereatur esse Dominus, imò mereatur esse captivus & subditus ad sustinendum perdurabiles poenas & infinitos labores.

24. *Benigne Domine!* Si ego habuissem
in

in me veritatem & rationem, non fecissem
meam animam servam desiderii meae car-
nis, quia ipsa est multò nobilioris naturæ,
quàm mea caro, &, quia, qui sequuntur
desiderium suæ carnis, tormentantur ab
ipsa: unde maledictus est servus, qui tor-
mentatur ad complendum desideria sui
mali domini.

25. i. *Amabilis Domine, celebrate &
culte super faciem terra, & laudate & hono-
rificate in cælis* ! Valde magna sollicitudo &
labor est vasallo, quando habet multos
dominos, & maximè, quando domini sunt
sinè justitia & veritate & misericordia:
unde, in quantum servus se facit captivum
& subditum multorum dominorum, in tan-
tùm magis auget & multiplicat suos graves
labores & suos magnos dolores.

26. Et cùm ego, Domine, fecerim
meam animam servam multorum malo-
rum vitiorum, & me totum subdiderim
multis irrationabilibus & ingratis homini-
bus, ut amarer & laudarer ab eis; justum
est, quòd tormenter & malè tracter ab eis;

&

10. *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

&, sicut ego feci multos malos dominos, sic est rationabile, quòd tormenter multis tormentis.

27. Sed sicut captivus tormentatus & laboribus afflictus fugit à malo domino, ita ego, *Domine*, fugio ab omnibus meis malis dominis, & omnes ipsos discredo, & nego, & relinquo, & ab omnibus exeo, & recurro ad servitium & subjectionem & captivitatem tui honorati Domini, quod nunquam malè tractavit ullum suum fidelem servum.

28. K. Cùm Ratio & Justitia demonstrent, quòd Tu, *Domine DEVS*, debeas esse noster Rex & noster Dominus ratione magnæ Nobilitatis, quam habes super nos omnes, esset rationabile, quòd mea anima, quæ est melioris naturæ, quàm corpus, esset domina corporis: igitur, cùm ipsa talis non sit, precor Te, ut eam facias dominam ipsius.

29. Nam, si mea anima, *Domine*, sit domina corporis, eripiar ab omnibus malis dominis & ab omnibus malis dominis,

&

Vol. I. Lib. II. Dist. XIV. Cap. LXVII. 11
& non ero servus nec subditus ulli alteri
Dominio, nisi tuo.

30. Tuo alto Dominio, *Domine DE-*
VS, detur omnis Laus & Gloria & Ho-
nor & Benedictio, & dominio hominum
detur omnis paupertas & omnis defectus;
quia est malum dominium, & quia ipsi
discognoscunt tuum Dominium divi-
num.

CAPUT LXVII.

QVOMODO DEVS MEREATUR
habere Dominium, quia est Benefactor.

1. **D**ivine Rex gloria! Tuo sancto Do-
a. minio detur gloria & honor; nam,
quia mereris esse Dominus, voluisti nobis
dare *esse*, ut sis noster Dominus; unde,
cū nos receperimus *esse* à Te, dignum
est, quòd simus tui servi.

2. Omnes debemus, *Domine*, fateri
& confiteri Te esse nostrum Dominum &
nostrum Gubernatorem; quia nihil aliud
præter

præter Te sustinet nos in esse, imò, nisi sustineres nos, omnes periremus & reverteremur in nihilum.

3. Cum Tu, Domine DEVS, administres nobis illa, quæ nobis sunt necessaria, dignum est Te esse nostrum Dominum; quia nullus alius docet nos, quomodo vivamus & quomodo stemus, præter Te.

4. b. O vere Consolator & fidelis Consolator, Amator noster! Tu, Domine, mereris esse noster Dominus; quia Tu es, qui das nobis fructus in arboribus, de quibus comedamus & vinum, quod bibamus; & das nobis in bestiis lac, de quo habeamus butyrum & caseos, & das nobis animalia irrationalia pro carne, de qua capiamus vitam, & das nobis in herbis semina, de quibus habeamus panem.

5. Etiam, Domine, debes esse noster Dominus, quia das pluvias & ventos & calores & frigora, per quæ ea, de quibus vivimus, possint generari & fructificare.

6. Tu, Domine, das omnia ista & multò

multò plura, ut homines vivant : igitur, cum nullus alius præter Te sit Dator talium rerum, est dignum & justum Te solum esse nostrum Dominum.

7. c. *Dominans Domine, complementum omniumstrarum necessitatum*! Sicut ratione beneficii, quod homines recipiunt à Te, est dignum & justum, quòd sis Dominus, ita ratione tui Domini est dignum & justum, quòd homines Te ament & honorent, & Tibi serviant.

8. Tuum Dominium, *Domine*, semper facit bonum suis subditis omni modo, quo eis est necessarium; quoniam remittis & adjuvas & restauras & exaudis homines; sed dominium dæmonis non est dignum esse super homines, quia dæmon est deceptor & falsus & crudelis & ingratus, & torquet illos, qui ei se submittunt.

9. Benedictum sit, *Domine DEVS*, tuum Dominium, quia non est simile dominio Regum & Principum hujus mundi; quoniam ipsi pro parvo dono, quod homini dant, volunt possidere totum ipsum;

14. *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

sum; & quamvis non dent, nec faciant ullum bonum, tamen volunt, quod homo eos honoret tanquam dominos, & eis serviat in talibus rebus, in quibus non sunt digni, ut serviatur eis.

10. d. *O essentialis Domine, amorose!* Sicut eques, qui accepit multa dona & multos honores à suo bono domino, tenetur amare honorem & utilitatem ipsius, & pugnare, & se exponere periculo pro ipso, quoties opus sit; ita omnes Christiani tenentur exaltare & nobilitare venerationes & honores, quos Tibi decet fieri ab hominibus.

11. Nos videmus, *Domine*, quod pro parva mercede, quam homo dat præconi, faciat ipsum ire clamando per vicos & plateas: igitur, cum Tu nos adeò obligaveris & exaltaveris super omnes alios homines, dignum esset, quod iremus prædicando tuum honoratum Dominium infidelibus, qui illud ignorant.

12. Tu, *Domine*, in quantum scis Te dignum, ut sis Dominus, in tantum Te
ref-

respicis obligatum, ut sis Benefactor; & propterea es Benefactor multis pauperibus peccatoribus; sed non est ita de hominibus, quia multis malis Principibus videtur se esse dignos dominio, & non reputant se obligatos ad adjuvandum & succurrendum suis subditis.

13. c. *Gratiosè Domine, virtuosè, patiens, pie!* Quantum Tu das & provides nobis in nostris necessitatibus, tantum es dignus esse Dominus, & adhuc plùs; quia, quantò es melior & major & nobilior, quàm nos, tantò magis mereris esse Dominus super nos.

14. Fidelis vasallus & verus servus, *Domine*, in quantum suus bonus Dominus plus boni ei facit, in tantum se reputat plùs obligatum & subditum ipsi; & in quantum videt suum Dominum meliorem & nobiliorem se, in tantum plùs se submittit ad serviendum ipsi.

15. Sed de falso vasallo deceptore non est ita, *Domine*; quia, quò plùs suus bonus Dominus ipsum amat & honorat & ei dat,

16. *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
dat, eò plus se vult equalificare ipsi & se
extollere; & quò meliorem & nobiliorem
illum videt, eò plus invidet ei suas divi-
tias & honorationem.

16. f. *Perdurabilis Domine, Complemen-
tum omnium bonorum!* Tuum honoratum
Dominium est aded nobile & dignum,
quòd non sit intellectus hominis, qui posset
estimare & cogitare & comprehendere
debitum & causam, quam omnes populi ha-
bent, ut sint servi & subditi ipsi.

17. Nam, sicut omnis intellectus hu-
manus, *Domine*, deficit ad intelligendum &
comprehendendum magnas gratias & mag-
na bona, quæ fecisti homini, & quæ fa-
cis, & adhuc facies, ita nullus posset co-
gitare & perpendere magnam rationem,
quam habemus, ut teneamus Te pro nos-
tro Domino & pro nostro Patre ratione
magnorum bonorum, quæ nobis veniunt
a Te & per Te.

18. Tu, *Domine DEVS*, mereris
esse noster Dominus, quia nobis remittis
nostras graves culpas, & nobis succurris

in

in nostris necessitatibus; &, quando omnia nobis deficiunt, es nostrum refugium, & nos adjuvas in nostris magnis afflictionibus: unde benedictus sit talis Dominus, qualis es Tu, qui est adeò dignus possidere suos populos.

19. g. *Laudate Domine super omnes laudes; amate Domine super omnes amores!* Sicut de majoribus necessitatibus, quas homo possit habere, est, quòd non sit servus nec subditus dæmoni per peccatum, ita de majoribus necessitatibus, quas ipse possit habere, est, quòd possideatur à Te, & non sit sub alio dominio, nisi sub tuo.

20. Adeò dignum est, *Domine*, Te esse Dominum, & nos esse subditos, quòd omnis, qui velit esse liber, & non velit esse tuus servus, sit servus & captivus diaboli & mundi; & omnis, qui velit esse tuus servus & tuus captivus, sit liber à dæmone & à vanitate hujus mundi.

21. Maxima sapientia & prudentia, quam homo possit habere, *Domine*, est, quòd sit amator tui Domini, & nullum

18 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

aliud dominium tantum amet, quantum tuum; & maxima stultitia & dementia, quam possit habere, est, quòd velit esse liber & non subditus tuo Dominio.

22. h. *O Benefactor super omnes benefactores! O Domine super omnes dominos!* Omnes populi, qui sunt sub tuo honorato Dominio, debent lætari, & habere valde magnum placitum ex hoc, quòd sint tui subditi; quia valde magnum est placitum vasalli, quando est vasallus Domini, qui non est servus nec vasallus alterius.

23. Igitur, cùm omnes homines debeant lætari, *Domine*, ex hoc, quòd sint tui subditi, & Tu non sis subditus ulli domino, tuus culpabilis servus debet contristari, quia fecit duos dominos, qui sunt servi & captivi alterius.

24. Isti duo domini, quorum me feci servum & captivum, *Domine*, sunt dæmon & mea caro; & captivitas, sub qua est dæmon, est poena infernalis; & captivitas, sub qua est mea caro, sunt labores, quos meum corpus sustinet, ut in hoc mundo habeat

habeat perfectionem delectationum, quam ei impossibile est habere.

25. i. *O supreme Domine ! O suprema Bonitas !* Laudatus sis Tu, qui nos beneficiasti tuâ sanctâ Humanitate, quam subjugasti nostræ Redemptioni & nostræ Salvationi, ut nos extraheret à servitute dæmonis.

26. Quòd Tu, *Domine*, captivaveris & obligaveris tuam sanctam Humanitatem ad nostram Salvationem, repræsentat nobis figura sanctæ Crucis; quia in ea demonstratur Te tradidisse & dedisse ipsam omnibus doloribus & omnibus angustiis mortis.

27. Omnes tui servi & omnes tui populi, *Domine*, tenentur laudare tuum sanctum Dominium; quia per plures modos, quàm homo possit cogitare & æstimare, es dignus esse Dominus: benedictus sis Tu.

28. K. *Æterne Rex Gloria, Principium & Finis omnium rerum !* Non solùm debes esse Dominus hominum ratione magnorum donorum, quæ eis das, sed etiam
ratione

20 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

ratione parvorum; & adhuc, si fieri posset, quòd eis nihil dares, deberes esse Dominus ipsorum.

29. *Gloriose Domine!* Quoniam tanta beatitudo & benedictio mihi venit ex hoc, quòd sim tuus servus, & Tu sis meus Dominus, precor Te, ne permittas ullum hominem superbum & vanigloriosum esse meum dominum, nec meam animam esse servam ullius vitii.

30. Tuus servus & tuus famulus, *Domine DEVS*, fatetur coram omni populo Te esse Dominum & Benefactorem, & confitetur coram omnibus, nullum aliud dominium aliquid valere, nisi Dominium divinum.

CAPUT LXVIII.

QVOMODO DEVS MEREATUR

esse noster Dominus, quia nos redemit.

1. **O** *JESV Christe Domine!* Tua ex-
- a. cellens Essentia laudetur & glorificetur

rificetur & celebretur; quia creasti tuum populum ex nihilo, & ipsum recreasti tuo pretioso Sanguine, quem effudisti.

2. Unde benedictum sit, *Domine*, tale Dominium, quale est tuum adeò nobile & perfectum, quod est Dominium per Creationem & Recreationem; quia tuâ Deitate nos creasti, & tuâ Humanitate nos recreasti: igitur nos sumus tui servi ex parte tuæ Deitatis, quæ nos creavit, & ex parte tuæ Humanitatis, quæ nos redemit.

3. Omnes homines, *Domine*, debemus habere in nostris oribus laudes tui Domini & servitutis, in qua sumus sub ipso; quia nullum dominium est adeò nobile & benedictum, sicut tuum; & nulla servitus est adeò honorata & proficua, sicut nostra.

4. b. *O JESU Christe Domine!* Benedictus sis Tu, qui emisti omnes tuos populos jejuniis & orationibus, paupertate & laboribus, flagellis & vulneribus, lacrymis, sanguine & morte.

5. *Cum*

5. Cúm Tu, *Domine*, emeris tuos populos omnibus istis doloribus & languoribus & pluribus, aliis; non est mirum si sis Dominus ipforum; quia multos homines video emere alios pro denariis, ut sint captivi & mancipia eorum, & eos possidere & esse dominos: igitur, quantò plús Tu debes esse noster Dominus, qui tuo benedicto Corpore nos emisti?

6. Sicut, *Domine DEVS*, quidam homines emunt alios Syngraphâ, in qua faciunt mentionem de denariis, pro quibus illos emunt, ita Syngrapha, quæ facit mentionem pretii, quo nos emisti, est Crux, quæ demonstrat, quale fuerit pretium, quo nos emisti; unde benedicta sit talis Syngrapha; quia quoties eam video, toties facit me memorare tuum honoratum Dominum & meam magnam servitutem.

7. c. O *Domine honorate, ó Domine laudate, ó Rex Gloria*: In Te cognoscatur & sciatur Paternitas, & Filiatio, & Processio sancti Spiritus; quia voluisti, quòd sancta Humanitas, quam assumpsisti, venderetur,

ut

Vol. I. Lib. II. Dist. XIV. Cap. LXVIII. 23
ut nos essemus liberi à dæmone, & essemus
tui empti.

8. Homo, qui emit captivum, non
emit eum, ut sit liber, imò emit eum, ut
sit suus captivus; sed Tu, *Domine*, emisti
nos, ne essemus captivi maligni domini, &
ut essemus liberi à captivitate, in quam ce-
cidimus per nostrum Patrem Adamum.

9. Igitur quodnam dominium & qua-
nam emptio assimulantur tuo Dominio &
Emptioni? quoniam Tu, *Domine*, es Do-
minus, ut sint liberi omnes illi, quos emisti,
& omnes alii domini emunt homines, ut
sint sui servi & captivi.

10. d. *Singularis Domine, virtuose, pie,*
amoroſe: Sicut nullus homo posset per-
cipere & comprehendere magnum preti-
um, quo emisti tuum populum, ita nullus
posset intelligere & scire magnam servitu-
tem, in qua sumus sub tuo honorato Do-
minio.

11. Et, sicut in Te, *Domine*, signifi-
catur & demonstratur altum & magnum
Dominium per Nobilitatem divinæ Essen-
tix,

24 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
tiæ, ita significatur in nobis magna servi-
tus per magnitudinem pretii quo sumus
empti.

12. *Gloriose Domine!* In quantum in-
telligitur in humano intellectu Te esse
nobilem & altum & bonum, in tantum in-
telligitur magnum esse Dominium, quod
habes super nos; & in quantum nostra fra-
gilitas & paupertas & miseria demonstra-
tur magna in nobis, in tantum demonstra-
tur magna servitus in qua sumus sub tuo
gratioso Dominio.

13. e. *Domine prime, Domine postreme,*
Domine magne, Domine fortis, Domine ho-
norate, Domine mirabilis! Cum ita sit,
quod sis perfectus Dominus, conveniens
fuit, Te emere tuum populum caro pretio,
ut nos essemus in extrema servitute, in qua
possit esse ulla res ratione emptionis factæ
pro magno pretio.

14. Cum Tu, *Domine*, debeas esse
Dominus in supremo gradu Domini, con-
venit tuum populum esse sub tuo Dominio
in supremo gradu servitutis, qui esse possit;

&

& propterea oportuit nullam rem esse emptam adeò caro & bono pretio, sicut tuus populus, qui fuit emptus tuâ benedictâ Carne & tuo pretioso Sanguine & tuis lacrymis plenis pietate.

15. Ut nostra servitus esset major, fuit conveniens, *Domine*, quòd pretium, quo nos emisti, persolveretur in meliori & nobiliori tempore, quod homo possit habere: unde, cùm melius tempus hominis sit à triginta annis usque ad quadraginta, ideo placuit Tibi nos emere in illo tempore, quod est melius omni alio tempore ætatis & vitæ hominis.

16. f. O Rex Regum, o *Domine Dominorum*: Tu scis, quòd, quando vasallus sustinet pro amore sui boni Domini famem & sitim & nuditatem & paupertatem & angustias & labores & ignominias & irrisiones, sit rationabile suum Dominum esse ei gratum & ei dare præmium.

17. Igitur, cùm Tu, *Domine*, pro amore tui populi sustinueris tot tribulationes in hoc mundo, & taliter fueris vilipensus

lus & contemptus & tormentatus & mortuus, quantum tenetur tuus populus Te honorare & amare, & Tibi servire?

18. Cogitando & perpendendo, *Domine*, isto modo demonstratur humano intellectui magnum Dominium, quod debes habere super omnes populos, & magna servitus, in qua omnes sumus obligati ad obediendum honorificentis & mandatis tui honorati Domini.

19. g. *Æterne Domine, infinite, perdurabilis!* Adeò magna ratio & justitia est Te esse Dominum & nos vasallos, quòd non sit ullus homo, qui posset cogitare nec æstimare ullam inconvenientiam & injuriam in hoc, quòd sis Dominus, & nos vasalli.

20. Nam, si omnes homines, *Domine*, in hoc mundo infinite viverent & cogitarent & perpenderent, an possent invenire ullam rationem, quare ipsi non deberent esse servi, & Tu Dominus, inter omnes non possent invenire unum momentum nec unum punctum temporis, in quo deberent

rent esse liberi à tuo Dominio.

21. Igitur, cum in tempore non possit esse privatio tui Dominii nec nostræ servitutis, *Domine*, infinitè est proprium Tibi, quòd sis Dominus, & nobis, quòd simus tui servi & tui empti.

22. h. O Gloriose *Domine*, Vne in Trinitate, & Trine in Unitate! Quot homines facti sunt mei domini in hoc mundo, qui nunquam me emerunt, nec mihi dederunt ullam rem, nec me honorarunt, nec me amarunt, nec aliquid aliud fecerunt, propter quod deberent esse mei domini, sed ego per meam ignorantiam & stultitiam feci eos dominos mei?

23. Unde de maioribus insaniis & stultitiis, quæ possint esse, *Domine*, est, quòd me fecerim servum & captivum illorum, qui non sunt digni esse domini, & fugerim à tuo Dominio, quod per tot rationes est dignum possidere me.

24. Domini, qui me possederunt in hoc mundo, *Domine*, sunt homines mundani vanigloriosi, qui non merentur habere

28. *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

re ullum dominium magnum nec parvum,
cū Tu merearis habere omnia dominia :
igitur quomodo fui adeò infanus , quòd
fecerim tam malos dominos, & reliquerim
pro eis tam bonum Dominum, sicut Tu
es ?

25. i. *Domine fortis super omnes fortitu-
dines, Domine potens super omnes potestates !*
Si homo, qui emit bestiam in foro , ligat
& ducit eam in domum tanquam suam :
igitur Tu, qui emisti in Cruce tuum popu-
lum, liga amore corda ipsius , & duc eum
in domum perdurabilem.

26. *JESV Christe Domine !* Si capti-
vus emptus pro denariis non habet ullam
excusationem ad omittendum labores ,
quos suus dominus ei mandat ; quis ex no-
bis erit excusatus, si sit otiosus in tuis lau-
dibus , & in diffundendo tuas honoratio-
nes per mundum, cū nos emeris lacera-
tione tuæ Carnis & effusione Sanguinis &
lachrymarum ?

27. Cū per multas rationes sim tuus
fervus & tuum mancipium, precor Te, Do-
mine,

mine, ne sinas me esse otiosum in modico nec in multo in ulla re, quæ sit ad tuam honorationem ; quia nolo esse liber, quoniam, sum servus; & nolo esse otiosus, quoniam sum obligatus ad negotiandum & operandum & procurandum, quòd homines Te ament & Tibi serviant.

28. K. *Virtuose Domine, amate super omnes amores, desiderate super omnia desideria!* Multi homines sunt, qui emunt parvo pretio rem multò meliorem pretio, quocumque emunt; sed Tu, ut melius merereris esse noster Dominus, hoc non fecisti, quia dedisti magnum & nobile pretium pro nobis, qui respectu pretii sumus res viles & miseræ.

29. Unde, quamvis simus viles & miseri respectu pretii, quo nos emisti, precor Te, *Domine*, ut Tibi placeat meliorare & nobilitare nos taliter, quòd fiat convenientia inter nos & pretium, quo sumus empti, ita, ut, quoniam pretium est bonum & nobile, simus fideles & boni; quia semper est honor Domini, quòd sui vassalli

30 B. Raym. Lulli Lib. Contempl.
Illi sint boni & fideles.

30. In præsentia omnium coram tuo
Altari & coram figura veræ Crucis, in qua
me emisti, confiteor & fateor, *Domine*,
Te esse meum Dominum & meum DEVM,
& me esse tuum servum & tuum emptum,
qui confidit in Te, quòd ei dabis gra-
tiam ad ducendum ad perfectionem
alias Distinctiones futuras, sicut
ei dedisti gratiam ad istam,
quæ tractavit de tuo Do-
minio divino.

DISTINCT.



Vol. I. Lib. II. Dist. XV. Cap. LXIX. 31
DISTINCT. XV.

DE DIVINA SAPIENTIA.

CAPUT LXIX.

QVOMODO DEVS SIT SAPI-
ens in sua Essentia.

1.
a.



EVS *honorate, laudate, amate, gloriose!* Benedictus sis Tu, qui habes perfectam Sapientiam in omnibus rebus in hoc, quòd tua Voluntas velit omnia bona, & tua Potestas sciat omnia ipsa facere, & tua Sapientia sciat facere omnes nobilitates & omnes bonitates.

2. Quia in Te, Domine **DEVS**, sunt omnes Nobilitates & omnes Virtutes perfectæ, convenit esse in Te perfectam Sapientiam; sed, quia nos habemus defectum nobi-

nobilitatis & virtutum, ideo deficit in nobis perfectio Sapientiæ.

3. Ratio, quare in Te, *Domine*, est perfecta Sapientia, & in homine non est perfecta, est, quia tuæ Virtutes & tua Bonitas non sunt terminatæ, imò est infinitum, quidquid est in Te; sed, quia sensus humani sunt terminati, convenit virtutes, quæ sunt in homine, esse terminatas: igitur ratione terminationis sensuum humanorum convenit sapientiam in homine esse terminatam.

4. b. *O Domine sapiens in omnibus, quæ sunt, & fuerunt, & erunt*: Ratio, quare homo habet defectum scientiæ, est inæqualitas suorum sensuum intellectualium; quia vel habet nimis magnam animositatem vel nimis parvam, vel habet nimis grossam conscientiam vel nimis subtilem, & sic de aliis sensibus.

5. Quia sensus humani sunt terminati, & sunt in homine vel in nimis parva quantitate vel in nimis magna, ideo homines non sciunt operari & facere id, quod

quod faciunt ordinatè & perfectè; quoniam vel faciunt nimis multum vel nimis parum, vel nimis citò vel nimis tardè; sed de tua benedicta Sapientia, *Domine*, non est ita, quia omnia, quæ facit, facit in illa dispositione, quæ decet, & convenit veræ ordinationi & dispositioni.

6. Tua divina Essentia, *Domine*, est Natura adeò ordinata & perfecta, quòd nulla inordinatio generetur in ea, imò, quidquid facis, vadat per cursum Sapientia, & nihil inclinetur nec flectatur ad stultitiam & ignorantiam; sed non est ita de humana essentia, quia sumus adeò inordinati per peccatum in nobis ipsis, quòd fere omnia, quæ facimus, vadant per cursum stultitiæ & ignorantia & insania.

7. c. *O Domine sancte, alte, misericors!* Tua honorata Sapientia habet adeò magnam Fortitudinem & Virtutem, quòd nunquam ullus homo, quantumcunque sciret & magnam falsitatem haberet, Te potuerit decipere parum nec multum, nec Tu unquam feceris ullum defectum, nec per-

34 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

dideris aliquid, quod ad Te pertineret.

8. Tuæ sanctæ Sapientiæ, *Domine DEVS*, sit gloria & honor, quia omnes aliæ sapientiæ exeunt & derivantur ab ipsa; & quæcunque sint, sunt vanæ & fragiles respectu ipsius.

9. Adeò magna est tua Sapiencia, *Domine*, quòd, quotiescunque velimus æquare nostram tuæ, cadat in nos defectus sapientiæ, & simus stupidi & nescii & fatui & absque omni sensu & intellectu; &, quando Tibi attribuimus omnem sapientiam & nobis omnem ignorantiam & miseriam, tunc nostra sapientia crescit & multiplicatur in nobis.

10. d. *Domine obedite, Domine invocate, Domine honorate!* Quia tua Sapiencia est suprema, & insipientia & stultitia, quæ est in hominibus mundanis, est major, quæ esse possit; ideo omnes, qui sunt sapientes apud Te, reputantur stulti & ignorantes in sapientia mundi, & omnes, qui reputantur sapientes in mundo, sunt stulti apud Te.

11. Igitur

11. Igitur secundum hoc sequitur, *Domine*, quod vera sapientia non sit in mundanis hominibus, quamvis appellentur sapientes, imò sit in hominibus, qui à mundanis appellantur stulti.

12. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*, qui mihi dedisti cognitionem, per quam nunc reputo fatuos homines, qui me reputabant sapientem tunc, quando faciebam stultitias; & reputo sapientes illos, qui me reputabant stultum, quando me videbant esse inobedientem tuis mandatis.

13. e. *Gubernator Domine, Factor omnium bonitatum*! Si Tu scis Te ipsum esse totum sapientem ratione perfectionis, quæ est in tua Bonitate, ego scio me ipsum esse stultum & nescium ratione defectus bonitatis.

14. Ratio, quare me sentio, *Domine*, stultum & nescium, est, quia sentio potentiam sensitivam mihi dare voluntatem & inclinationem ad amandum me ipsum plus, quam Te & meum proximum, & per istam

voluntatem me sentio intrare in stultitiam
& exire de sapientia.

15. Unde, cū ego, *Domine*, sim mihi natura, quæ me inclinat ad stultitiam, & me deviat à sapientia, oportet, quòd si velim esse sapiens, me vertam ad Te, in quo est Sapientia, & non sequar naturam, quæ mihi venit à potentia sensitiva.

16. f. *O Domine virtuose, grate, juste, vere!* Cū Tu sis Fons Sapientiæ, à quo omnes aliæ sapientiæ derivantur & nascuntur & generantur, & ego sim fons culpæ & peccati & stultitiæ; placeat Tibi mihi dare tantam sapientiam, quòd sequar virtutem & sapientiam, quæ descendit & derivatur à tua Essentia, & non sequar corruptionem & malignitatem, quæ descendit à mea magna stultitia.

17. Si Tibi, *Domine DEVS*, place-
ret mihi dare gratiam, ut haberem tan-
tam sapientiam, quòd nollem ire secun-
dūm cursū meæ naturæ; & vincerem me
ipsum, ego essem sapiens, quamvis habe-
rem passionem & laborem in vincendo me
ipsum;

ipsum ; & , quantò major esset labor , quem sustinerem in vincendo meam naturam , tantò major esset mea sapientia , quia plus meriti inde haberem.

18. Igitur , cùm egomet sim natura defectus sapientiæ , Tu vides , *Domine* , quòd non sufficiam ad vincendum meam stultam naturam ; & ideo oportet , quòd à Te , qui es Fons Sapientiæ , descendat in me potestas & natura , per quam sim victor meæ gravis stultitiæ.

19. g. *O Splendor omnium luminum ! O Lumen omnium splendorum !* Major dementia & stultitia & magis contraria sapientiæ mihi videtur esse hominem captivare & submittere se ipsum rei , quæ sit serva & captiva peccati & ingratitude : igitur ego , *Domine* , non habui ullam sapientiam , quia me submisi hominibus peccatoribus , qui sunt servi & captivi sui ventris & vanitatis hujus mundi.

20. Quando homo , *Domine* , est vassallus rei servæ , in quantum crescit servitus sui domini , in tantum crescit servitus vassalli :

vasalli: igitur, cum ego fecerim meam animam servam corporis, quod est captivum tot fragilitatum & miseriarum & defectuum, quantum corpus est subditum ad sustinendum omnes istas passiones, tanta est captivitas meae animae.

21. Unde, cum per defectum sapientiae & per magnam abundantiam stultitiae captivaverim meam animam subdendo eam corpori, & per magnam captivitatem, in qua est corpus, mea anima devenerit in tam gravem servitutem, supplico, *Domine*, tuae benedictae Sapientiae, ut oculis Misericordiae respiciat meam animam, quae tantopere est turbata.

22. h. *Suavis Domine, simplex, pie, abundans Misericordiâ & Justitiâ!* Omnem hominem, qui velit esse sapiens, oportet habere in se scientiam & amorem & fidelitatem; quia sine istis tribus rebus nunquam poterit invenire sapientiam: igitur propterea fuit tanto tempore sapientia absens à me, quia istae tres res non erant in me.

23. Qui vult invenire sapientiam in
hoc

hoc mundo, *Domine*, tradat se ad sustinendum dolores & fletus & paupertates & tribulationes pro laude & amore & honore tuæ honoratæ Sapientiæ.

24. Qui vult esse sapiens, *Domine*, oportet, quòd faciat distinctionem inter bonum & malum, & faciat comparationem inter majus & minus bonum, & inter majus & minus malum; & oportet, quòd relinquat malum & acceptet bonum, & citius eligat majus bonum, quàm minus, & minus malum, quàm majus; sed ego feci contrarium omnium istorum, quapropter fui stultus super omnes stultos & nescius super omnes nescios.

25. i. *O sancta Sanctitas! O perdurabilis Perdurabilitas! O gloriosa Gloria!* Qui vult beneficiari à sapientia, oportet esse talem, quòd sciat facere distinctionem inter possibile & impossibile, & credat id, quod est possibile, & discredat id, quod est impossibile.

26. Qui vult impleri Sapientiâ, *Domine*, oportet, quòd Tibi attribuat omnem per-

40 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

perfectionem Bonitatis & Virtutum & nullum defectum, & attribuat & det sibi ipsi omnem defectum & omnem paupertatem & omnem paucitatem & omnem miseriam.

27. Per talem modum, *Domine*, quem homo accipit in se cognoscendi & attribuendi Tibi omnem Bonitatem, & sibi ipsi omnem defectum, devenit sapiens & virtuosus; & quò majorem Bonitatem homo Tibi attribuit, & quò plùs cognoscit in se defectum, eò plùs crescit & multiplicatur in eo sapientia.

28. K. Tibi, *Domine misericors*, detur & cognoscatur Gloria & Honor, & omnibus illis cognoscatur sapientia, in quorum corde perseverat vera Fides & vera credentia, & habitat amor & spes in tua Misericordia; & omnes illi dicantur sapientes, qui habent in ore laudes tuæ Sapientiæ, & orationes & veritates & gratias propter magna bona, quæ facis tuis servis.

29. Qui vult esse sapiens, eat, *Domine*, inter homines stultos & nescios, quia ab
ip[s]is

ipsis poterit accipere divitias, quas poterit effundere & dare inter homines sapientes & inter pauperes.

30. Qui vult esse stultus & privatus sapientiâ, eat, *Domine*, ad dandum suas divitias hominibus divitibus & discognoscentibus, & nihil det pauperibus nec sapientibus, qui contemplantur in tua Sapientia divina.

CAPUT LXX.

QUOMODO DEVS SIT SAPIENS in omni eo, quod facit.

1. **O** *DEVS* magne & fortis, alte, mirabilis! Tuæ sanctæ Sapientiæ detur gloria & honor; quia, sicut fluminibus & aquis decurrentibus est proprium ire ad mare; ita, *Domine*, tuæ Sapientiæ est proprium ire ad omnem ordinationem & perfectionem & bonitatem.

2. Unde, quia tua Sapientia, *Domine*, habet talem proprietatem, convenit, quòd
in

in omnibus, quæ creas & facis, opereris sapienter, & in omnibus sit tua Sapientia.

3. Et, quia nos, *Domine*, sumus Tibi culpabiles & pleni peccato, accidentaliter eximus ab ordinatione, in qua tua Sapientia nos posuit, & intramus in disordinationem in omni, quod facimus sive comedendo sive bibendo sive vestiendo sive loquendo sive in quibuscunque aliis rebus.

4. b. *Domine, cui debetur sanctificatio & celebratio & adoratio & servitium*: Adeò sapienter operatus es in omnibus, quod propter magnam vim Sapientiæ ordinationis, quam posuisti in omni, quod creasti & fecisti, nulla alia res possideat ullam rerum, quas creasti & fecisti; nec ulla res sit digna esse libera à tuo Dominio.

5. Et, quia nos, *Domine*, habemus paucam sapientiam, & multam stultitiam & ignorantiam, sunt inter nos alii servi aliorum; sed ista servitus non est essentialis, imò est accidentalis; quia, nisi defectus

tus sapientiæ esset in nobis, nullus homo esset servus alterius.

6. Unde benedicta sit, *Domine*, tua Sapientia, quæ ordinavit, quòd quoties faciamus bona opera, simus sapientes per naturam & per proprietatem tuæ Sapientiæ; & quoties faciamus mala opera, simus stulti accidentaliter per naturam nostri defectus & stultitiæ, quæ est in nobis per accidens.

7. c. *Æterne Domine* ! Tibi cognoscatur Virtus & Nobilitas & Sapientia; quia adeò magna profunditas Sapientiæ est in Te, quòd per ipsam creaveris hominem in libero arbitrio, & ipsum facias devenire ad omne id, quod est ei prædestinatum, quin per hoc sequatur ipsum non esse ordinatum ad meritum gloriæ vel pænæ.

8. Unde magna est tua Sapientia, *Domine*, quia non est ullus homo, qui posset imaginari & comprehendere, quàm magna sapientia sit creare hominem, & facere ipsum devenire liberâ voluntate ad id, quod est ei prædestinatum, secundum quod

quod est prævifum in tua Scientia eſſe futurum.

9. Unde benedicta ſit, *Domine*, tua magna Sapientia, quæ hominem liberè facit eſſe & operari, & facit eum venire ad id, quod eſt ei prædeſtinatum ita, ut non veniat coactus nec conſtrictus, imò veniat totaliter liberè, ut ſit ſubjectus merito gloriæ vel pœnæ.

10. d. *Juſte Domine ſapiens, Recreator noſter*! Gloria & honor fiant tuæ honoratæ Sapientiæ, quæ poſuit in ordinatione & in natura & in conſuetudine, quòd omnis homo, qui amat & laudat & timet Te & ſervit Tibi, ſit ſapiens; & omnis, qui Te non amat nec honorat nec Tibi obedit, ſit ſtultus & inſipiens ſuper omnes inſipientias & ſtultitias.

11. Et iſtam talem ordinationem, *Domine*, placuit tuæ Sapientiæ ordinare, ut illi, quos facis ire per curſum & conſuetudinem ſapientiæ, habeant gloriam & benedictionem perdurabilem, & illi, qui eunt per vias & conſuetudines ſtultitiæ, habeant

pœ-

pœnam & tormentum perdurabile.

12. Cùm tua operatio, *Domine*, sit in adeò magna regula Sapientiæ, & in adeò magna profunditate Scientiæ & Iustitiæ, omnes debemus lætari & consolari in ipsa; &, cùm nos simus in adeò magno defectu sapientiæ, & simus adeò pleni stultitiâ, omnes debemus pavere & timere à nostris insipientiis & stultitiis.

13. c. O *Princeps Principum*! O *Domine Dominorum*! Qui vult esse sapiens & plenus sapientiâ, non superest ei aliud consilium, nisi dare Tibi, quidquid habet, & nihil sibi retinere; sed aliqui stulti sunt, qui aliquid Tibi dant, & aliquid sibi retinent de rebus, quas possident; & quia Tibi dant, putant excusari de eo, quod eis remanet: igitur isti tales non habent perfectam sapientiam, quia sibi aliquid retinent.

14. Sed, si ipsi, *Domine*, Tibi darent omne, quod habent, & omnes vires suæ animæ & suorum membrorum, tunc essent sapientes & essent excusati apud Te.

15. Nam

15. Nam tua Sapiencia, *Domine*, non vult ullum hominem sibi retinere aliquid, quod possit Tibi dare, imò vult totum habere; & tua Sapiencia non vult de ullo homine plús, quàm ipse possit, &, quod non potest dare nec operari, tua Sapiencia non vult habere.

16. f. *Domine amabilis, Domine hono-
rate, Domine amate, Domine amice omnium
tuorum benevolorum!* Sicut bonus artifex
ducit parietem per lineam rectam, ne obli-
quetur; ita omne id, quod creasti & fecisti,
creasti & fecisti per regulam Sapiencie, ut
nullus defectus sit in tua operatione; sed
non est ita de tuo servo, quia omnia sua
opera tempore præterito fuerunt extra re-
gulam sapientie, & iverunt per viam insi-
pientie & defectus.

17. *O Domine DEVS!* Quoniam ita
est, quòd meum principium & mea juven-
tus fuerit in via stulticie & in operibus
peccati, peto à Te gratiam, ut mihi des
tantam sapientiam, quòd mea senectus &
meus finis sint in via sapientie, ut possim
esse

esse laudator tuæ Sapientiæ.

18. Cùm magna sapientia sit, *Domine*, ire per vias planas & securas, & in societate hominum sapientum, peto à Te gratiam, ut me extrahas à societate malorum hominum & à potestate dæmonum & à viis obliquis & periculosis.

19. g. Qui sapienter vult operari, *Domine*, debet prius respicere, ad quid operatio veniet, & quâ intentione fiat, & postea poterit percipere, an sequetur bonum vel malum ex sua operatione; sed ego non habui istam sapientiam, quia, quando mihi veniebat voluntas faciendi aliquid, statim faciebam illud.

20. Quando sapiens homo, *Domine*, tentatur à dæmone vel ab aliquo malo homine, ut faciat malum, se asscurat in sua sapientia & in sua firmitate, & non se movet ad operandum nec ad faciendum aliquid per talem admonitionem: igitur ego non fui sapiens, quia me movi ad operandum vanitates & vilia opera, quamprimum fui tentatus.

21. Quando

21. Quando sapienti, *Domine*, deficit scientia vel potestas vel certitudo, semper auxiliatur sibi legalitate & iustitiâ & confidentiâ in tua gratia & benedictione : igitur ego non fui sapiens, quia quamprimum mihi deficiebat certitudo & scientia, statim me associabam cum suspitione & desperatione & oblivione tuâ Misericordiâ.

22. h. *O JESU Christe Domine nate ex nostra Domina sancta MARIA!* Tu fuisti sapiens in principio tuâ Nativitatis & in medio & in fine dierum, quibus vixisti in hoc mundo; sed ego fui stultus à principio meorum dierum usque ad triginta annos præteritos, quando incepit in me recordatio tuâ Sapientiæ & desiderium tuâ Laudis & memoria tuâ Passionis.

23. Unde, sicut sol habet majorem vim in meridie, ita ego fui stultus & sine sapientia usque ad medietatem meâ ætatis; sed tua Sapientia, *Domine*, est adeò magna, quòd possit dare mihi tantam sapientiam in residuo meâ ætatis, sicut si totâ
meâ

meâ ætate fuiffem in bonis operibus.

24. Cùm peccatum & infipientia fecerint me ita fragilem & parvum & miferum, quòd in me non fit locus, in quem ulla fapientia poffit intrare & contineri, faltem precor Te, *Domine*, ut iftam fapientiam velis ponere in me, quòd velim effe tuus fervus & mori ad laudandum tuam Deitatem & tuam fanctam Paffionem.

25. i. *Perfekte Domine, in quo omnia bona fumunt perfectionem!* Tibi fit gloria & honor; quia, ficut excessus fatuitatis & abundantia infipientiæ privarunt me fapientiâ; ita fupplico & oro tuam magnam abundantiam, ut me faciat effe amatorem & fervum fapientiæ & omnium bonorum operum.

26. Ratio, quare omnis tua operatio, *Domine DEVS*, eft plena Sapientiâ, eft, quia, quidquid facis, facis, ut cognofcaris talis, qualis es, & ut homines Te ament, & Tibi ferviant, fecundùm quod pertinet ad tuam Honorificentiam: igitur omnia

D

alia,

50 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

alia, quæ cogitantur & fiunt aliâ intentione, sunt plena fatuitate & insipientiâ.

27. Qui bene velit cogitare & perpendere, quot sint homines, qui id, quod faciunt & cogitant, non faciunt ad intentionem tuæ Laudis nec ad reverentiam tui Domini, multa, *Domine*, poterit perpendere, quæ sunt magnæ fatuitates & magnæ insipientiæ & absque ulla utilitate.

28. K. *Domine, une in Trinitate, trine in Vnitate* ! Illi sunt sapientes, qui habent cognitionem de rebus, quæ sunt magnæ utilitatis & magni damni; quia per cognitionem, quam habent de rebus multum utilibus, contemnunt res parvæ utilitatis, & per cognitionem, quam habent de rebus multum damnosis, non timent res parvi damni.

29. Beati igitur sunt sapientes, qui faciunt differentiam inter res finitas & infinitas; quia omnes res finitas relinquunt propter infinitas, & nullos labores finitos timent propter magnum pavorem, quem habent de laboribus infinitis.

30. Qui

30. Qui veram sapientiam velit habere, *Domine*, commendet se custodiæ amoris; quia amor est adeò nobilis virtus, quòd omnes, quos ipse custodit, defendat à fatuitate & insipientia: igitur fatuus fui ego, qui non commendavi me custodiæ amoris, ratione cujus fatuitatis deamando fui obli-
viusus tuæ sanctæ Sapientiæ divinæ.

CAPUT LXXI.

QVOMODO SAPIENTIA DEI
extrahat de malo bonum.

1. **D**EVS liber, amorose, pie, plene
a. *omnibus bonis*: Tuæ sanctæ Sapi-
entiae sit gloria & honor per omnia tem-
pora, quia ipsa creavit omnes creaturas ex
nihilò; & *nihil* non est aliquid habens *esse*;
& in quantum *nihil* non habet *esse*, est
malum respectu rei habentis *esse*: igitur
secundùm hoc sequitur, quòd creando
creaturas de nihilò tua Sapientia extraxerit
bonum de malo.

2. Tua

2. Tua Sapientia, *Domine*, ordinavit quòd malum, quod est in dæmonibus, sit Angelis occasio magnæ gloriæ & magni boni; quia, quòd plûs dæmones torquentur, eò plûs Angeli cognoscunt suam gloriam & gratiam, qnam eis facis.

3. Benedicta sit tua sancta Sapientia, *Domine DEVS*; quia de peccato Adami, quod fuit res horribilis & mala, extraxit valde magnum bonum in hoc, quòd ratione illius peccati volueris honorare naturam humanam, ipsam recreando assumendo Carnem & moriendo pro nobis: unde maximum bonum & maxima honorificentia, quam homo unquam acceperit, & possit recipere, fuit, quòd volueris esse homo & mori pro homine.

4. b. *Domine fortis, Domine magne, Domine alte*! Benedicta sit tua magna Sapientia & omne, quod à Te est; quia ipsa est adeò magna, quòd de gravibus peccatis, quæ peccatores facimus, extrahat cognitionem & placitum in beatis faciendo eos cognoscere gloriam & benedictionem,
quam

quam eis dedisti.

5. *Amorose Domine* ! De tuis gravibus Vulneribus & de tuis angustiosis laboribus, quos moriendo sustinuisti pro nobis, quæ sunt valde gravia mala, derivatur & nascitur perdurabilis requies hominibus beatis in gloria.

6. Et ab illis malis, *Domine*, quæ sustinuisti in hoc mundo, fuit natum & derivatum exemplum, quod dedisti tuis populis ad Te amandum & honorandum & laudandum, ut essent digni intrare in cœlestem gloriam.

7. c. Tua Sapientia, *Domine DEVS*, debet valde amari & honorari ab omnibus populis, & nostra debet valde contemni & vilipendi; quia, sicut tua est adeò magna, quòd extrahat de malo bonum, ita nostra est adeò modica, quòd res bonas & pretiosas faciat devenire in malas.

8. Si tuus servus, *Domine*, haberet aliquid sapientiæ in se ipso, de defectibus, quos videt facere Reges & magnos Dominos, posset extrahere multa bona & multam

tam sapientiam; quia, si faceret oppositum illius, quod ipsi malè faciunt, esset sapiens; sed, quia ego habeo debiliorem sensum, quàm ipsi, ideo non scio extrahere bonum, nec sapientiam de exemplo defectuum ipsorum.

9. *Vere Domine!* Homo sapiens, quoties tentatur, extrahit sibi utilitatem à tentatione; quia, quò major est tentatio, eò plús conatur resistere ipsi: igitur, cùm tentatio sit res mala in se ipsa, & ei resistere sit res bona, sapiens essem, si restitissem, & noluissem permittere me vinci à tot tentationibus.

10. d. *O magne Domine, supreme super omnes altitudines, excellens super omnes honorificentias!* Illi beati sciunt extrahere de malo bonum, qui, quando in sua cogitatione perpendunt mala opera, recurrunt ad cogitandum & desiderandum bona, & ad contemnendum malas cogitationes priores.

11. *O Domine DEVS!* Quàm beatus est homo sapiens, qui, in quocunque statu sit,

Vol. I. Lib. II. Dist. XV. Cap. LXXI. 55
fit, scit facere suam utilitatem! Nam, si ipse stet in bonis operibus, scit se asscurare in eis; & si per aliquod accidens cadat in aliquod malum cogitando vel operando, scit ab eo exire, & se mutare ad tractandum de aliquo bono opere.

12. Cū tuus servus & tuus subditus, *Domine DEVS*, toties erraverit & exiverit de bonis operibus, & intraverit in mala, ipse non est sapiens, qui de bonis operibus habuerit curam & sollicitudinem, nec qui sciverit esse talis, quòd se custodiret à culpis & peccatis.

13. c. *Divine Rex perdurabilis, fortis super omnes fortitudines!* Valde magnam occasionem essendi sapiens habet, qui pro amore Tui sustinet angustias & labores & sollicitudines; quia, quòd majores sunt sui labores, eò melius est dispositus ad faciendum magna lucra, dum velit in eis habere patientiam: igitur secundum hoc sapientiores possunt esse illi, qui pro tuo amore sunt in tribulationibus, quàm illi, qui pro Te non sustinent ullum laborem.

56 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
rem.

14. In omnibus illis rebus, *Domine DEVS*, possum cognoscere meam magnam stultitiam & meos graves defectus; quia, quando per labores & tribulationes faciebas me affligi à gentibus pro tuo amore, nesciebam extrahere utilitatem de illis laboribus, nec lucrari lucra, quæ mihi parabas ad lucrandum.

15. Ego, *Domine*, non sum de sapientibus, qui, quò plús illuduntur & reprehenduntur & inhonorantur & contemnuntur pro tuo amore, eò plús conantur Te laudare & honorare & amare & benedicere; imò sum de stultis & pusillanimis, qui, quò plús vident pericula corporalia in serviendo Tibi, eò plús ea evitant, & eò plús fugiunt à vituperio gentium injuriosè judicantium.

16. f. *O humilis Domine, plene Misericordiâ!* Illi homines habent sapientiam, qui accumulunt & congregant, quando stulti dissipant & consumunt; quia de defectibus eorum extrahunt utilitatem & sapientiam:
igitur

igitur stultus ego fui, quia, dum sapientes faciebant opera sapientiæ, dissipabam & consumebam inter ipsos hoc, quod habebam.

17. Illi, qui sunt sapientes, *Domine*, si contingat, quod eis deficiat potestas ad faciendum bonum & evitandum malum, saltem vellent, si possent, facere bonum, & evitare malum; unde de suo defectu extrahunt bonum in hoc, quod tantum eis valeat habere voluntatem; quantum valeret, si haberent potestatem: igitur stultus ego fui, qui non scivi habere talem modum, imò habui contrarium.

18. Quando homo sapiens, *Domine*, non potest intelligere nec scire id, quod suum ingenium & suus intellectus non potest percipere, semper attribuit defectum sibi ipsi, & ipsum non attribuit rei, quam vult intelligere; & sic de suo defectu extrahit bonum in hoc, quod faciat magnam sapientiam: igitur stultus ego fui, qui faciebam contrarium; quia, quando non poteram intelligere rem duram ad intelligendum,

58 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

dum, statim affirmabam defectum venire ex parte rei, & non ex parte mei.

19. g. *O sancta Sapientia, Lumen & Splendor fidelium Christianorum!* Tibi datur omnis gloria & omnis honor, quia scis extrahere hominibus bona perdurabilia de fragilitatibus & miseriis & defectibus ipsorum, quotiescunque videant & percipiant suas misérias & suos defectus; nam, quò plús homo cognoscit suos defectus esse viles, eò plus habet utilitatis.

20. Quia ego non scio, *Domine*, similiter me gerere, videtur mihi, quòd sim stultus & plenus insipientiâ & ignorantia; quoniam, quando deberem cogitare & perpendere meam fragilitatem & meos graves defectus & graves culpas, quibus totus sum comprehensus, imaginor & cogito res, quæ non sunt in me, & puto, quòd sim bonus & virtuosus & honoratus & totus plenus bonis moribus, quarum rerum nullam habeo in me.

21. *Domine DEVS!* Homines sapientes, qui sinè sua culpa fiunt pauperes, de
illa

illa paupertate, quam sustinent, extrahunt divitias virtutum, quibus ditant suas animas, & hoc faciunt, quia contemnunt divitias, & contemnendo ipsas contemnunt hunc mundum, & contemnendo ipsum desiderant venire ad divitias cœlestis gloriæ; igitur stultus ego fui, qui ratione paupertatis, quam sustinebam, desiderabam habere divitias hujus mundi & desiderando eas habebam in oblivione bona cœlestia.

22. h. *Liber Domine, plene grātiâ, pie, abundans omnibus bonis!* Homines sapientes extrahunt de malo bonum, quando per motum naturalem excitatur in eis ira, & abstinent à loquendo & operando mala opera: unde, cùm motus iræ sit malus in se, de illo malo sciunt homines sapientes extrahere bonum, quia sciunt habere abstinentiam & patientiam; sed ego non sum de illis, quia, quamprimum ira incipit in meo corde, statim profero verba inconsiderata, & facio opera similiter inconsiderata.

23. *Honorate Domine!* Quando homi-
nes

nes sapientes tribulantur in hoc mundo ab hominibus vel ab infirmitatibus vel ab indigentia ciborum, statim elevant suum cor ad Te, & confidunt in Te; sed ego, quamprimùm meum cor vel meum corpus tangebatur ab aliqua tribulatione, statim movebam me ad desperationem de tua Gratia & de tua magna Misericordia.

24. Quò plús homo sapiens, *Domine*, tentatur, & quò plús illuditur & decipitur, eò plús inde extrahit profectum, quia eò meliús cognoscit suam fragilitatem & miseriam; sed ego, quò plús contemnebar & deridebar & reprehendebar, eò plús me appretiabam & me laudabam & me excusabam.

25. i. *O magne Domine super omnes magnitudines magne! O Domine super omnes largitates large!* Illi homines sunt sapientes, qui, quando sentiunt suam naturam inclinam ad peccandum, ei resistunt per res contrarias; nam, si sua natura inclinetur ad iracundiam vel ad luxuriam vel ad zelotypiam vel gulositatem, recurrunt ad absti-

Vol. I. Lib. II. Dist. XV. Cap. LXXI. 61
abstinentiam & patientiam & legalitatem
& orationes & jejunia & sermones & peregrinationes; sed ego non fui talis, quia,
quò plùs sentiebam meam naturam incli-
natam ad peccandum, eò plùs ei permit-
tebam ire juxta suum cursum.

26. Illi homines sunt sapientes, *Domine*, qui parva mala faciunt devenire in magna bona, & magna mala faciunt devenire in parva: igitur stultus ego fui, qui de magnis bonis feci devenire magna mala.

27. Omnes stupiditates & insipientiæ, quas habui in hoc mundo, venerunt mihi, *Domine*, per defectum amoris, qui me fecit amare res finitas, & me fecit oblivisci Tui, qui es Bonum infinitum & Gloria perdurabilis.

28. K. O supremum bonum, à quo derivantur & descendunt omnia alia bona! Illi, qui propter defectus aliorum se castigant, sunt sapientes: igitur stultus fui ego, *Domine*, qui nolui me castigare propter defectus mei proximi.

29. Illi

29. Illi homines, *Domine*, sunt sapientes, qui quando vident alios torqueri & puniri à justitia, memorant suas proprias culpas & defectus & peccata: igitur ego non sum sapiens; quia, quando video aliquem torqueri & puniri, non memoro defectus, quos feci, propter quos deberem similiter puniri & torqueri.

30. Latanter & devotè laudat & benedicit tuam Sapientiam, *Domine*, tuus servus, & suam scientiam cognoscit esse vilem & miseram; quia, sicut tua Sapientia extrahit de malo bonum, ita mea scientia per defectum & ignorantiam facit devenire de bono malum: veruntamen, quamvis sim totus plenus defectu, tamen non desisto agere Tibi gratias pro gratia, quam mihi dedisti ad ducendum ad perfectionem istam Distinctionem, quæ tractavit de tua Sapientia divina.

DISTINCT.

DISTINCT. XVI.

DE DIVINA JUSTITIA.

CAPUT LXXII.

QVOMODO NOSTER DOMINVS
DEVS sit justus in se ipso.

1.
2.



DEVS sapiens super omnes
Scientias & Sapientias!
Tuæ Sanctæ Justitiæ, Do-
mine, cognoscatur omnis
gloria & omnis honor,
quia verè & justè omnia
quæcunque creasti, creasti, ut in eis cog-
noscatur & demonstretur tua magna Bo-
nitas.

2. Unde, cū tua magna Bonitas,
Domine, mereatur cognosci & amari &
sibi serviri, valde magnam rationem &
justitiam habuisti in hoc, quòd creaveris
creaturas, ut ipsa cognoscatur.

3. Adeò

64 B. Raym. Lulli Lib. Contempl.

3. Adeò magna & perfecta est, Domine, tua Justitia in se ipsa, quòd nunquam dederis nec attribueris Tibi aliquid, quod esset contra rationem & veritatem, nec quod esset inconueniens tuæ Nobilitati, vel demonstraret ullum defectum esse in tua Sapientia.

4. b. O Pater spiritualis, in quo sunt omnia bona & omnes magnitudines! Ratione magnæ Justitiæ, quæ est in Te, Domine, voluisti esse Homo, & voluisti esse pauper & vendi & ignominiari & derideri.

5. Abundantia Veritatis & Justitiæ voluit, Domine, tuum gloriosum Corpus habere manus ligatas, & flagellari & eleuari ad Crucem, & tuas manus & pedes clavis crucifigi, & tuum Caput spineâ coronâ coronari; etiam Tibi placuit potari absynthio & aceto & felle, & lanceâ transfodi, & voluisti tuam Animam à Corpore separari: unde benedicta sit tua magna Justitia, quæ omnes istas passiones Te fecit sustinere & assumere in patientia.

6. Secundum vim justitiæ & rationis,
Domine,

Domine, oportebat omnes istas poenas & angustias esse in tuo Corpore, ut tuus populus liberaretur à diabolo, secundum quod ordinatio tui Adventus requirebat.

7. c. *Amabilis Domine*, qui audis voces & orationes hominum justorum! Adeò magna Justitia est in Te, quod, licet habeamus Te in oblivione, & habeamus in memoria vanitates hujus mundi, tamen nolueris oblivisci nostri.

8. Quia Justitia & Æquitas facit Te, *Domine*, esse memorem nostri, & recreare tuum populum, & injuria & ingratitude & durities cordis me fecit immemorem tuarum Nobilitatum & gravium laborum, quos pro me sustinuisti & portasti, quid erit de me? & quodnam consilium capiam?

9. Nullum aliud consilium scio capere, *Domine*, nisi à Te petere gratiam, ut mihi parcas, & me judices secundum amorem, quem habuisti erga humanum genus, quando pependisti in Cruce; & non velis

me judicare secundum statum, in quo sum, quando sum obliuioſus tuorum vulnerum.

10. d. Tu, *Domine DEVS*, qui glorificas in gloria tuos ſervos glorificando Te ipſum in Te, es adeò abundans Juſtitiâ & Æquitate, quòd omnia loca mundi ſint plena & cooperta tuâ Juſtitiâ; ſed juſtitia & æquitas tui miſeri ſervi eſt adeò modica, quòd nec in loco nec in angulo inveniatur nec videatur.

11. Cùm ego, *Domine*, habeam defectum juſtitix & æquitatis, & ſim plenus injuriâ & rebus irrationabilibus, ubicunque velis, poteſ ſcindere & dividere & truncare in me, per quamcunque partem velis, gladio tuæ Juſtitix; & maximè cùm ſim nudus & pauper virtutibus, & ſim plenus culpis, & gladius tuæ Juſtitix poſſit me ferire, per quemcunque locum velit.

12. Si tuæ ſanctæ Miſericordiæ, *Domine*, placeret me excuſare, ne tuus gladius Juſtitix me feriret perdurabilibus ictibus, magna videretur in me tua Pietas & tua

Re-

13. c. *Restaurator Domine, Adjutor in omnibus locis & in omnibus temporibus!* Tua sancta Justitia ametur & laudetur omni tempore; quia, cum sciam Te esse adeò rationabilem & justum, & me adeò culpabilem & dignum sustinere dolores perdurabiles, valde timida & tristis est mea anima, quousque memoret tuam magnam Misericordiam, quæ aufert ab ea omnem timorem & omnem tristitiam.

14. *Gloriose Domine!* Si essem certus, quòd ad portam paradisi esset tua Justitia sine Misericordia, nunquam possem habere spem in tua Gloria; sed, quando cogito tuam Justitiam non posse esse sine Misericordia, nullo modo possum cogitare, quòd non miserearis mei.

15. *Sapiens Domine, perdurabilis!* Sicut Tu fuisti justus tuo populo per Creationem & Recreationem, ita placeat Tibi velle esse justus Tibi ipsi de me, & velle me non esse servum nec subditum alterius Domini nisi Tui, & me aliam rem non laudare

laudare nec honorare nec benedicere, nisi Te.

16. f. *Domine gloriose!* Quoniam ita est, quòd Justitia faciat Te amare me, placeat Tibi ipsam facere me amare Te; &, sicut Justitia fecit plorare tuos oculos, ita placeat Tibi ipsam facere plorare meos; &, sicut Justitia Te fecit mori pro amore tui populi, ita Tibi placeat tuum servum mori ad dandum laudem de tua sancta Incarnatione & Passione.

17. *Vere Domine!* Sicut Justitia eò plús crescit & multiplicatur in homine, quòd plús vult esse amator & laudator & servus tuæ laudis & tuæ honorificentiae; ita, quòd plús homo est inobediens tuis mandatis, & quòd plús obliviscitur eorum, eò plús crescit in eo injuria & irrationabilitas & illegalitas.

18. Cúm homo, *Domine*, sit eò plús legalis & justus, quòd plús Te amat & Tibi servit, & sit eò plús falsus & illegalis & injustus, quòd plús Tibi disservit; secundúm hoc sequitur, quòd Tu sis Fons & Flumen

omnis

Vol. I. Lib. II. Dist. XVI. Cap. LXXII. 69
omnis Æquitatis & omnis Justitiæ.

19. g. *Perpetue Domine* ! Sicut tua magna Justitia est ad majorem Nobilitatem Tui, quàm ullius alterius, ita meæ injuriæ & meæ culpæ sunt ad majus damnum & confusionem mei, quàm ullius alterius.

20. Veruntamen, quamvis meæ injuriæ, *Domine*, mihi sint plús nocivæ, quàm ulli alteri, tamen fui injustior Tibi, quàm mihi, licèt meæ injuriæ non Tibi noceant.

21. Qui in bonis temporalibus, *Domine*, facit sibi injuriam, non facit magnam injuriam; sed suprema injuria, quam homo possit facere sibi ipsi, est, quòd se privet bonis spiritualibus, quæ non habent cessationem nec finem.

22. h. *Sapiens Domine, alte super omnes altitudines* ! Estne ullus homo, qui posset comparare & æstimare magnam injuriam, quam perversus peccator facit sibi, quando finè causa & finè omni ratione damnat suam animam & suum corpus ad ignem perdurabilem?

23. Non

23. Non est ullum mirum, *Domine*, si ille, qui sibi facit injuriam, faciat injuriam suo proximo; quia, qui sibi injustè aufert bona coelestia, & se ipsum damnat ad perdurabiles poenas, cuilibet faceret injuriam & deceptionem.

24. Unde, cùm ego, *Domine*, sim adeò injuriosus Tibi & mihi & meo proximo, quantum sum injuriosus, tantum placeat Tibi super meas injurias esse pius & misericors.

25. i. *Humilis Domine, cui nulla res sunt obscura nec occulta*: Cùm Tu sis verus DEUS & verus Homo, est rationabile & justum, quòd ego sim tuus servus & tuus famulus & tuus benevolus; nam ratione tuæ Deitatis sum tua creatura & tuus beneficiatus, & ratione tuæ Humanitatis sum tuus recreatus & tuus restauratus & tuus redemptus.

26. Sicut per justitiam debeo esse tuus servus, *Domine*, ratione tuæ Deitatis & tuæ Humanitatis; ita fui injuriosus contra tuam Deitatem & contra tuam Humanitatem.

27. Cum Tu, *Domine*, sis adeò justus, omnis honor & omnis reverentia & omnis solemnitas fiat tuæ magnæ Justitiæ; & tuus servus cognoscatur & judicetur in valde magna miseria & in valde magna vilitate, & reputetur injuriosus super omnes injurias.

28. K. O *Domine* large, Dator omnium bonorum ! Laudetur & glorificetur tua magna Justitia, quæ se facit sororem & sociam tuæ sanctæ Misericordiæ in adeò magna unione & in adeò magna societate, quòd una non sit sinè altera ; & mea injuria vilipendatur & reprehendatur, quia se associavit cum duritie cordis & cum ingratitude.

29. Quia tua Justitia & tua Misericordia, *Domine*, sunt insimul, ideo tua Misericordia vult, quòd judicemus nosmetipsos in hoc mundo ad opera pœnitentiæ, ne tua Justitia nos judicet in altero sæculo ad perdurabiles pœnas, & ut tua Misericordia nobis dimittat in hoc sæculo.

30. Omnes

30. Omnes lætemur & confortemur, *Domine*, in tua Justitia; quoniam ipsa est adeò amorosa & liberalis cum tua sancta Misericordia, quæ non obliviscitur illorum, qui contemplantur in Bonitate tuæ Essentiæ divinæ.

CAPUT LXXIII.

QVOMODO DEVS SIT IUSTVS
in Angelis & in demonibus.

1. **D**ivine *Domine*! Omnis sanctitas &
 a. **D**omnis benedictio & omnis honor
 detur tuæ excellenti Justitiæ, quæ, quia
 Angeli voluerunt esse tuæ creaturæ & tui
 laudatores & tui servi, quamprimùm eos
 creasti, ideo voluit statim confirmare il-
 lam voluntatem in eis.

2. Unde benedicta sit, *Domine*, tua
 magna Justitia, quia valde justè & rectè
 judicasti in eis; nam, quoniam ipsi ama-
 bant esse subditi tuæ laudi & tuo honori,
 fuit rationabile & justum eos confirmare

in

Vol. I. Lib. II. Dist. XVI. Cap. LXXIII. 73
in statu, quem voluerunt & elegerunt,
quoniam sua voluntas & sua electio erat
secundum rationem & iustitiam.

3. Unde beati sunt Angeli, *Domine*,
quia voluerunt esse amatores & laudatores
& servi tuæ sanctæ Deitatis; & Tu es verus
Iudex, qui confirmasti eos in omni, quod
voluerunt de Te.

4. b. *Domine fortis super omnes fortitudi-
nes*: Valde iustus fuisti in Angelis, quando
eos confirmasti in statu gratiæ; quia, sicut
ipsi inceperunt ire per viam primi motus,
ita confirmasti eos, ut perdurabiliter eant
per eandem viam; & sicut Angeli, quam-
primùm fuerunt creati, habuerunt primam
intentionem in amando & honorando Te
& in serviendo Tibi, ita eos confirmasti, ut
perdurabiliter in omni, quod volent facere,
habeant eandem intentionem.

5. Laudetur & magnificetur, *Domine*,
tua magna Iustitia, quæ confirmavit An-
gelos in proprietate & natura volendi ope-
rari opera gratiæ, & facere ea, quæ sint ra-
tionabilia fieri; & benedictus sis, *Domine*,
qui

74 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

qui eos custodivisti, ne possint habere voluntatem inordinatam, ex qua procederent opera derivata accidentaliter à privatione & à nihilo.

6. *Sapiens Domine.* Dupliciter demonstratur tuam Justitiam esse magnam in Angelis, quia, sicut ipsi voluerunt ire per vias gratiæ, quamprimùm fuerunt creati, ita confirmasti eos in illis viis; &, sicut ipsi se custodiverunt & elongaverunt à viis, in quibus est privatio gratiæ & rerum rationabilium, ita eos custodivisti ab illis viis.

7. c. Laudes & honores & placita & dulcedines tribuantur Tibi, *Domine*, qui habes tantam Justitiam, quòd, quia Angeli voluerunt vivere in Te, qui es Fons vitæ, confirmasti eos in vivendo in Te; &, sicut Angeli voluerunt amare nos, quia videbant Te nos amare, ita voluisti eos confirmare in amando nos & omne, quod amas.

8. Cùm Angeli, *Domine*, sint veraces & in eis nulla sit falsitas nec mendacium, valde

Vol. I. Lib. II. Dist. XVI. Cap. LXXIII. 75
valde magnam Justitiam fecisti tuo populo
faciendo Angelos nuntios; quoniam non
convenit aliquem esse nuntium, nisi sit
verax.

9. *Benigne Domine, plene gratiâ!* Cùm
Angeli sint amatores verarum viarum, &
odiant quascunque res viles & inordinatas,
valde magnam Justitiam fecisti dando eis
officium procuratorum tuorum populorum;
quoniam ad nullum pertinet officium pro-
curationis, nisi sit amator omnium bono-
rum, & odio habeat omnia opera pec-
cati.

10. d. *O sancte Splendor, Pater omni-
um luminum, Lumen omnium splendorum!*
Cùm Angeli sint veraces & sint benevoli
nostri, & Tu, *Domine*, eis commendave-
ris tuos populos, valde sapienter & ratio-
nabiliter operatus es.

11. Nam Angeli, *Domine*, defendunt
nos à dæmonibus & à malo, & admonent
nos, ut faciamus bona opera, & per hoc
lucratur meritum, per quod crescit &
multiplicatur sua gloria in tua Præsentia.

12. Cùm

12. Cúm Tu, *Domine*, sis adeò justus Dominus, & Angeli nocte & die conentur laudare & honorare Te, & Tibi servire, & nocte & die custodiant & defendant tuum populum à tentatione diabolica; quis posset imaginari & cogitare magnam gloriam, quam beati Angeli possident in cœlesti Gloria?

13. e. *Cœlestis Pater, Domine temporis præteriti & præsentis & futuri!* Quantò plús homines sunt in hoc mundo amatores bonorum operum, tantò majorem gloriam inde possident Angeli; nam, quoniam Angeli sunt nuntii & custodes hominum, quantò plús eos adjuvant, tantò major debet esse sua gloria.

14. Cúm per infernalem pœnam, quam dæmones sustinent, demonstretur magnitudo gloriæ, quam Angeli possident, quò major est, *Domine*, pœna illorum, eò meliús demonstratur gloria istorum, & eò meliús potest cognosci amor, quem habes erga eos.

15. Omnis reverentia & omnis laus
detur,

detur, *Domine DEVS*, tuæ magnæ Justitiæ; qui ab hora, qua Angeli & boni homines inceperunt facere bona opera, & ab hora, quâ dæmones & mali homines inceperunt facere mala opera, quotidie crescit & multiplicatur gloria beatorum Angelorum ratione tuæ magnæ Justitiæ, quæ eis retribuit gloriam propter meritum boni, quod faciunt, & mali, quod impediunt.

16. f. *Iuste Domine, in quo est omnis Veritas & omnis Justitia!* Sicut Tu es justus Angelis in omni, quod faciunt, ita es justus dæmonibus in omni, quod faciunt.

17. Quando Angelos creasti, *Domine*, Lucifer & alii dæmones statim inceperunt ire per viam secundi motus, & uti rebus inconvenientibus ordinationi, & rebus habentibus respectum ad privationem & ad non esse.

18. Unde ratione talis motus, *Domine*, voluisti eos esse dæmones, & confirmasti eos in esse diabolico, & voluisti omnem operationem & omnem intentionem eorum semper ire per secundum motum,

&

78 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

& ipsos nunquam habere potestatem eundi per viam primi motus.

19. g. *O Rex Regum! O Princeps Principum!* Dæmones accidentaliter inceperunt habere inordinatam intentionem, & accidentaliter inceperunt ire per naturam & propinquitatem rei, quam non decebat esse factam nec volitam.

20. Unde omnem rem desideratam & volitam & factam per secundum motum, & per inordinatam intentionem convenit, *Domine*, de necessitate esse volitam & factam injuriosè & contra ordinationem omnis justitiæ: igitur, quidquid dæmones voluerunt facere, voluerunt injuriosè & contra omnem justitiam & rationem.

21. Nam dæmonem velle, *Domine*, esse liberum & similem Tibi, fuit velle inordinatum & injustum, quoniam in hoc, quòd ipse sit creatura, non debet esse similis suo Creatori, nec debet excusari ab obedientia sui Domini: propterea dignum est suam operationem esse malam & non esse bonam.

22. h.

22. h. *Vere Domine, benevole noster!*
Esse, quod dedisti dæmonibus, nisi sustine-
retur à Te, quamprimùm peccaverunt,
fuiſſet deletum & reuerſum ad privatio-
nem; nam quia ſe inclinaverunt ad volen-
dum id, quod habet reſpectum ad *non eſſe*,
deuiſſent privari ſuo *eſſe* ratione culpæ
& ratione inclinationis, quam habuerunt
ad rem indignam *eſſe*.

23. Sed, quia Tu, *Domine*, es juſtus
Judex, placuit Tibi non delere dæmones,
& voluiſti ipſos durare in *eſſe*, ut tua Juſ-
titia demonſtraretur in eis perdurabi-
liter.

24. Unde, cùm dæmones habeant na-
turam corruptam per peccatum, ratione
cujus reverterentur in *non eſſe*, & Tu, *Do-
mine*, cogas ipſorum naturam, & facias
eos eſſe in *eſſe*, ut ſuſtineant pœnam, ideo
torquentur mirabilibus tormentis; quoniam
dupliciter torquentur, ſcilicet quia non
revertuntur in *non eſſe*, & quia ſentiunt pœ-
nas, quas eis das.

25. i. *Liber Rex Gloriæ, quem omnes
populi*

populi timent! Quia dæmones non inceperunt amare Te, quamprimùm fuerunt creati, ideo, *Domine*, fuit justum ipsos privari amore: unde benedictus sis Tu, qui abstulisti amorem ab eis ita, quòd non ament Te, nec se ipsos, nec aliud vero amore.

26. Quia dæmones priùs inceperunt amare se ipsos, quàm Te, justum fuit, *Domine*, quòd non haberent ullum amorem; nam, quoniam Tu es suprema Bonitas, & es Creator eorum, debuissent priùs amare Te, quàm se ipsos.

27. Cùm dæmones sint, *Domine*, sinè amore, & sint coacti in sua voluntate, quoniam amor & voluntas, quàm primò habuerunt, fuit contra rationem & justitiam, ratio & justitia est, quòd sustineant perdurabiles pœnas.

28. K. O Bonitas super omnes bonitates! O Bonum super omnia bona! Cùm dæmones habeant principium, & sint terminati, & voluerint esse similes Tibi, qui es sinè principio & fine, rationabile est eos torqueri sinè fine.

29. Si dæmones voluerunt tantum amari & laudari & honorari, quantum Tu, qui es perdurabilis, rationabile est, quod ratione istius voluntatis proveniat eis sententia, quâ subdantur & captiventur perdurabilibus laboribus.

30. Quia dæmones, *Domine*, discogno-
verunt tuam magnam Bonitatem, quando fuerunt creati, magna ratio est, quod eis sit occulta tua magna Misericordia: unde, quia ipsi ignorant respectu sui ipsorum tuam magnam Misericordiam, desperant de ea, & desperati torquentur, quin petant misericordiam & remissionem delictorum, quæ committunt contra suum Dominum DEUM.

CAPUT LXXIV.

QVOMODO DEVS SIT IUSTVS

in hominibus divitibus & in pauperibus.

1. **D**EVS *virtuose* ! Gloria & honor &
a. benedictio sint Tibi semper, qui
F es

es adeò justus, quòd judices homines divites secundùm suas divitias, & pauperes secundùm suam paupertatem.

2. Cùm Tu, *Domine DEVS*, sis justus cuilibet homini secundùm statum, in quo est, si homines divites habent majorem dispositionem ad peccandum, quàm pauperes, judicas eos, & non punis eos tantum, quantum illos, qui peccant habendo minorem occasionem & opportunitatem peccandi.

3. Homines pauperes, *Domine*, qui non habent tantam occasionem superbiæ nec gulæ nec luxuriæ nec aliorum vitiorum, quantam habent divites, si peccent, multò majorem pœnam debent habere, quàm divites.

4. b. *Domine sancte, Domine Salvator noster*! Tua sancta Justitia est æqualis inter divites & pauperes in hoc, quòd, si pauperes pro tuo amore conentur facere bona opera, multò gratiores sint Tibi, quàm divites, quia divites sunt magis dispositi ad faciendum bonum, quàm pauperes:
unde

unde bonum, quod faciunt pauperes, fit majori labore & majori fervore amoris, quàm bonum, quod fit à divitibus.

5. Simili modo, *Domine*, judicas in hominibus divitibus & in pauperibus, quando abstinēt à malis operibus; nam, quando divites abstinēt à peccato, multò gratiores sunt Tibi, quàm pauperes, quia habent majorem occasionem faciendi malum.

6. Si homines pauperes, *Domine*, tribulantur & torquentur per famem & per nuditatem & infirmitates & alios labores, qui eis eveniunt ratione paupertatis, divites similiter torquentur & tribulantur ratione divitiarum, propter quas habent famem & sitim & infirmitates & anxietates & timores & multos alios labores: unde benedicta sit tua Justitia, quæ torquet pauperes per paupertatem & divites per divitias.

7. c. *Æternitas & Infinitas & Gloria & Virtus cognoscantur Tibi, Domine DEVS,* qui es justus Judex ita, quòd si homini diviti

84 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

viti divitiæ sunt occasio peccati , æquè bene sunt ei occasio evitandi peccatum; &, si homini pauperi paupertas est occasio peccati, æquè bene est ei occasio evitandi peccatum.

8. Ratione tuæ magnæ Justitiæ , *Domine*, plûs valet parva moneta , quam pauper dat pro tuo amore, quàm magna, quam dat dives pro tuo amore ; & gratior est Tibi dives, si pro tuo amore sit humilis & simplex & suavis, quàm pauper , qui similiter pro tuo amore sit talis.

9. Laudetur & benedicatur , *Domine*, tua magna Justitia; quia, sicut divitiæ temporales demonstrantur in hominibus divitibus exteriùs, ita divitiæ spirituales cognoscuntur intra conscientiam beatorum pauperum ; &, sicut paupertas temporalis cognoscitur exteriùs in pauperibus, ita cognoscitur paupertas spiritualis intra conscientiam malorum divitum.

10. d. *Restaurator Domine , fortis super omnes fortitudines, magne super omnes magnitudines ! Ratione tuæ Justitiæ & Æquitatis*

Vol. I. Lib. II. Dist. XVI. Cap. LXXIV. 85
tatis voluisti quasdam res esse paupertates
hominibus divitibus, quæ sunt divitiæ pau-
peribus, & quasdam res esse magnas pau-
pertates hominibus pauperibus, quæ sunt
magnæ divitiæ divitibus.

11. Adeò justus es, *Domine*, quòd
æquè possit lucrari magnum meritum ho-
mo pauper petendo eleemosynam ante por-
tas, sicut, qui ei eleemosynam dat; & æquè
possit lucrari meritum dives dando elee-
mosynam, sicut pauper recipiendo eam.

12. Laudetur & benedicatur, *Domine*,
tua magna Justitia; quia, sicut homini pau-
peri sua paupertas est occasio, ut in hoc
mundo parùm appretietur & ametur, & ut
derideatur; ita divitiæ sunt diviti occasio,
ut in hoc mundo parùm ametur & appre-
tietur & ut derideatur, dummodo non
faciat id, quod ad divitem pertinet fa-
cere.

13. e. O *Domine*, qui mereris omnes no-
bilitates! O *Domine*, qui portasti omnes
nostros languores & omnes nostros dolores!
Sicut hominibus divitibus dedisti delecta-
tiones

tiones & placita in suis divitiis, ita eis dedisti multas anxietates & tribulationes in possidendo ipsas.

14. Si pauperibus ratione suæ paupertatis eveniunt multi labores & adversitates, benedicta sit, *Domine*, tua Justitia, quæ in paupertate facit eos habere multas consolationes & prosperitates & delectationes.

15. Omnes pauperes devotè & lætanter debent laudare & benedicere, *Domine*, tuam magnam Justitiam; quia, si divites ratione divitiarum sunt dispositi ad multa vitia & ad multas delectationes & vanitates, etiam pauperes ratione paupertatis sunt dispositi ad habendum multas virtutes.

16. f. *Perpetue Rex, Dominans super omnes principatus, & super omnia regna.* Si beati pauperes beatificantur & gratificantur, quia habent patientiam in suis paupertatibus, & Te laudant in eis; æquè beati sunt, *Domine*, divites, quando non sunt Tibi ingrati ratione divitiarum, & Te laudant & Tibi serviunt secundum divitias, quas eis dedisti.

17. Homo dives, *Domine*, qui non Te laudat, nec Tibi gratias agit propter suas divitias, si esset pauper, non Te laudaret nec Tibi gratias ageret propter paupertatem; & homo pauper, qui Tibi non agit gratias nec Te laudat propter suam paupertatem, si esset dives, non Te laudaret nec Tibi gratias ageret propter divitias.

18. Si homines pauperes, *Domine*, sunt pauperes bonis temporalibus, homines divites sunt plus obligati ad benefaciendum, quam ipsi pauperes: igitur loco divitiarum das pauperibus libertatem, & loco paupertatis das divitibus servitutem.

19. g. *O misericors Domine, plene Veritate & Amore* ! Si divitiæ sunt occasio homini diviti, ut laudetur & ametur & honoretur à gentibus, paupertas est pauperi occasio, ut Te laudet, & Tui memor sit & in Te confidat.

20. Si homines divites divitiis temporalibus, qui simul sunt divites divitiis spiritualibus, sunt beati; beatiore sunt, *Domine,*

mine, pauperes divitiis temporalibus, qui sunt divites divitiis spiritualibus.

21. Divites divitiis temporalibus, qui sunt pauperes divitiis spiritualibus, sunt miseri, *Domine*; sed miseres sunt pauperes bonis temporalibus, quando sua anima plús amat divitias temporales, quàm spirituales.

22. h. Te, *Domine*, qui es firmitas nostræ spei, & restauratio nostrorum defectuum, adoro & laudo & benedico; quia, sicut pejor paupertas & major, quam homo possit habere, est amare divitias mundanas super divitias spirituales, ita majores divitiæ & meliores sunt plús amare paupertates hujus mundi, quàm divitias.

23. Major paupertas, quam homo possit invenire, *Domine*, potest esse in Regibus & Principibus & Baronibus, qui adeò amant vanitates & voluptates & vanam gloriam, quòd omnes divitiæ, quas habent, non sufficiant ad complendum suum desiderium; nec omnes divitiæ hujus mundi possent sufficere uni homini, dummodo sit

vani-

Vol. I. Lib. II. Dist. XVI. Cap. LXXIV. 89
vanigloriosus & amator bonorum tempo-
ralium.

24. Gloria & honor sint, *Domine*, tuæ
Justitiæ, quæ adeò bene ordinavit, quòd
illi, qui in hoc mundo amant divitias,
sint pauperiores illis, qui eas non amant.

25. i. *JESU* *Christe Domine, qui es Fi-*
lius Virginis gloriosa nostra Domina sancta
MARIÆ! Quia in hoc mundo sustinuis-
ti majorem paupertatem, quàm ullus alius
homo, ideo fuisti beatior in tua paupertate
omni alio homine; &, quia fuisti ditior
virtutibus in hoc mundo, quàm ullus alius
homo, ideo fuisti beatior in tuis divitiis
omni alio homine.

26. Sicut tua Justitia, *Domine*, pau-
perem facit perversum hominem, qui vult
se esse divitem, & suum proximum esse
pauperem; ita Tu es beatus, quia voluisti
esse pauper, ut tuus populus esset dives.

27. Tuus captivus, *Domine*, & tuus
servus Te adorant & laudant & benedicunt ra-
tione magnæ paupertatis, quam sustinuisti
in hoc mundo, & ratione divitiarum spi-
ritualium,

ritualium, quas habuisti, ex quibus exeunt
& à quibus perficiuntur omnes nostræ spi-
rituales divitiæ.

28. K. Magnitudo & Dulcedo & Jus-
titia cognoscantur Tibi, *Domine DEVS*;
quia adeò es Fons vivus Justitiæ, quòd
æquè communis & æqualis sis inter homi-
nes pauperes & divites, & æquè possint
pauperes & divites lucrari meritum secun-
dum veritatem.

29. Et quòd hoc sit verum, quilibet
sapienter potest intelligere, dummodo velit;
quia id, quod diviti est occasio mali, est
pauperi occasio boni; & id, quod pauperi
est occasio mali, est diviti occasio boni.

30. Sed cum homines, *Domine*, fere
sint sine intellectu & ratione, non vide-
tur eis alias esse divitias, nec aliam oc-
casionem boni, quam divitias hujus mun-
di; sapientibus autem non videtur alias
esse divitias, nisi contemnere omnia bona
temporalia, & contemplari in tua Bonitate
divina.

QVOMODO DEVS SIT IVSTVS
*inter hominem injuriantem & hominem
injuriatum.*

1. **O** Divine Pater, Principium omnium
a. principiorum, perdurabilis sine ullo
fine! Benedictio & sanctitas dentur Tibi
omni tempore; quia, sicut per magnam ra-
tionem & justitiam convenit Te, Domine,
esse Dominum super omnia; ita esset extra
rationem, & esset injuriosum, si ulla alia
res possideret aliquid, quin esset subdita
tuo honorato Dominio: igitur secundum
hoc, quicumque vult cogitare aliquid extra
tuum Dominium, est injuriosus, & est adeo
contra Te, quod non posset esse plus inju-
riosus & contra Te.

2. Cum Tu, Domine DEVS, sis res
melior & nobilior, quæ esse possit, conve-
nit Te plus amari, quam ullam aliam rem:
unde, qui amant aliquam rem plus, quam
Te, quanto Tu es dignior amari plus, quam
illa

illa res, tantò majorem faciunt Tibi injuriam : igitur, quia talis defectus est maximus & maxima injuria, ideo tua Justitia justè condemnat ad infinitas pœnas illos, qui Tibi sunt ita injuriosi.

3. In quantum est major ratio, *Domine*, quòd Tu lauderis & honoreris plús, quàm ulla alia res, in tantum sunt Tibi injuriosi, qui aliam rem laudant & honorant plús, quàm Te ; & propterea tua Justitia, quanta est injuria, tantam pœnam eis dat.

4. b. *O benigne Domine, singularis, vere!* Injuria, quam perversi peccatores Tibi faciunt, non est contra Te, sed contra se ipsos ; quia ex hoc, quod ipsi faciunt, non sequitur damnum Tibi, sed sibi ipsis.

5. *Amabilis Domine !* Si homines mali injuriant homines simplices, suaves, patientes, omnis injuria & omne malum est contra injuriantes & non contra injuriosos ; quia tua magna Justitia facit devenire in beata bona omnia mala, quæ injuriati recipiunt ; &, quò plús mali & fraudis

dis & injuriæ recipiunt, eò plùs crescit eorum gloria, quando habent patientiam.

6. *O Domine sapiens, Domine sancte!* Benedicta sit tua magna Justitia, quæ tantum punit homines injuriatos, quando non volunt patienter sufferre injurias, quæ eis fiunt, quantum injuriosos, qui eos injuriant; quia adeò culpabiles sunt homines injuriati, quando non sufferunt injurias patienter & sinè mala voluntate, sicut injuriosi, qui per defectum legalitatis eos injuriant.

7. c. Gloria & Sanctitas & Gratia & Honor cognoscantur, *Domine*, tuæ magnæ Justitiæ; quia, sicut ipsa dat liberam potestatem hominibus, per quam possint facere injurias, ita dat eis liberam potestatem, per quam possint eas sufferre in patientia, si contra eos fiant.

8. Certè magna est stultitia, *Domine*, quòd homines plùs ament facere injuriam, quàm eam recipere; quia per facere injuriam tua Sententia eos condemnat ad perdurabilem

durabilem ignem, & per sufferre injuriam in patientia tua Justitia eis parat perdurabilem Gloriam.

9. Qui est injuriatus, non velit esse injuriosus; & qui lætantur faciendo injurias plorent, quia eas faciunt; & qui tristantur & plorant, quia fiunt eis injuriæ, non plorent nec tristentur, imò lætentur, dummodo in patientia eas recipiant.

10. d. *Æterne Domine sine fine & sine principio* ! Cùm Tu sis adeò justus & verus, & cùm ego toties Tibi fecerim injuriam ante tuum benedictum Altare; quid erit de me, & quodnam consilium capiam, quia, quando debebam contemplari in Te, cogitabam & memorabam vanitates hujus mundi?

11. Quando ego, *Domine*, injuriabam meos vicinos & meos cognatos & amicos habendo invidiam de suis bonis & de suis uxoribus, illæ injuriæ nihil aliud erant, quàm injuriationes meæ animæ, quæ se faciebat indignam possidere cœlestem gloriam.

12. Igitur,

12. Igitur, cū egomet, *Domine*, sim injuriosus & injuriatus, sum omnimodē injuriosus, quia Tibi & mihi & meo proximo fui injuriosus; & ideo per Justitiam debeo puniri perdurabilibus pœnis, & per solam Misericordiam possum recipi ad perdurabilem requiem.

13. e. *Grate Domine, plene Dulcedine & Pietate & Liberalitate* ! Cū ego fuerim adeo injuriosus meo Creatori & meo Salvatore & meo Domino, volo me judicare ad famem & sitim & paupertatem & nuditatem & ad omnes labores temporales, quos homo tenetur sustinere pro tuo Amore; quia, nisi me judicarem in hoc mundo ad sustinendum pœnam, tua Justitia me judicaret ad perdurabiles labores.

14. Tanquam homo ingrossans suam conscientiam, quando facit injuriam suo proximo, ego, ut excusarer à peccato, ingrossabam meum intellectum, *Domine*, ne haberet conscientiam de injuria, quā faciebam : unde benedicta sit tua Justitia, cui nullæ fraudes nec astutiæ sunt occultæ.

96 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
occultæ.

15. Sicut homo falsus illegalis, *Domine*, quando vult facere fraudem & injuriam suo proximo, inquit subtilitates & dolos, per quos eum possit decipere, ita homines injuriati & decepti, quando eis est facta injuria, debent ingrossare suum intellectum, ne habeant occasionem impatientiæ, & non debent memorare injurias, quas receperunt.

16. f. *O sancta Sapientia, cui nulla res sunt occultæ!* In quantum Tu, *Domine*, es Homo, fuisti injuriatus in hoc mundo, quia sinè ulla causa, quam in Te inveni-
rent, Te ceperunt Judæi & Te flagellaverunt & crucifixerunt & occiderunt: unde benedicta sit tua magna Justitia, quæ voluit, quòd omnes tui Apostoli essent ita injuriati, sicut Tu.

17. Amor & Veritas & Justitia, *Domine DEVS*, Te fecerunt sufferre, quòd tuum benedictum Corpus injuriaretur in hoc mundo; & nunquam injuria nec falsitas nec ullum vitium accessit ad Te, nec Te
movit

Vol. I. Lib. II. Dist. XVI. Cap. LXXV. 97
movit ad injuriandum aliquem.

18. *JESV Christe Domine* ! Si Tu fu-
isses in hoc mundo injuriosus & non inju-
riatus, non esset ratio nec justitia, quòd
esses in altero sæculo Judex inter ho-
minem injuriosum & hominem injuria-
tum.

19. g. *O Fortitudo super omnes fortitudi-
nes ! O Amor super omnes amores ! O Dulcedo
super omnes dulcedines* ! Valde magnum er-
rorem & magnum delictum reputo, *Domine*,
quòd injuriaverim Te, qui es melior &
fidelior & utilior Amicus, quem possim ha-
bere, & permiserim me injuriari à mundo,
qui est pejor & crudelior inimicus, quem
homo possit habere.

20. *Gloriose Domine* ! Benedictus sit
gladius tuæ Justitiæ, qui stat super illos,
qui sunt fures & raptores & scelerati ; &
benedicta sit tua Misericordia, quæ obum-
brat in requie omnes illos, qui sunt inju-
riati, & habent patientiam in omnibus, quæ
contra eos fiunt.

21. *Cum ego, Domine DEVS, de-*
beam

beam multum timere tuam Justitiam propter injurias, quas feci meis inimicis, quanto plus debeo eam timere propter injurias, quas feci meis cognatis & amicis, quos, dum confidebant in me, injuriabam?

22. h. *Essentialis Domine prior omnibus principiis & posterior omnibus finibus!* Sicut homo injuriosus se vestit, & se tegit falsitate & proditione & ingratitude; ita beatus injuriatus se vestit verâ patientiâ & vero amore, & se demonstrat plenum fidelitate & justitiâ.

23. *Vere Domine!* Quoties ego honoro me ipsum, & me laudo & magnifico apud gentes, toties sum injuriosus mihi ipsi; & quoties contemno me ipsum, & cognosco meam vilitatem & meam culpam, toties sum justus mihi ipsi.

24. Benedicta sit, *Domine*, tua Justitia, quæ injuriatos patientes elevat ad altitudines, de quibus descendunt per vilia opera injuriosi, & eunt in loca infima.

25. i. *Domine, cui debetur obedientia, & qui es invocatus & desideratus & volitus, sapiens*

piens in omnibus rebus ! Latentur omnes beati patientes injuriati, & dent laudes & cantica dulcedinis suo Creatori & suo justo Judici; & tristentur mali impatientes injuriosi, & præparent se ad sustinendum pœnas infernales perdurabiles.

26. Si beati injuriati malè tractantur ab injuriosis, latentur, *Domine*, in tua Justitia, quæ vocat & invitat eos ad possessionem perdurabilis gloriæ; & si injuriosi occidunt & spoliant & malè tractant injuriatos, memorent transitum ex hac brevi vita & tuam Sententiam, quæ eis mandat ire in ignem perdurabilem.

27. Si homines injuriati, *Domine*, vincuntur & coguntur à malis hominibus injuriosis, etiam mali injuriosi vincuntur & superantur à tua Justitia & à patientia bonorum hominum injuriatorum.

28. K. *Singularis Domine sine pari & socio!* Sanctitas & Gloria & Honor dentur & cognoscantur tuæ Justitiæ, quæ est media inter hominem injuriosum & hominem injuriatum; & sicut perversus homo læta-

tur

tur & delectatur, quando facit iniquitatem
& injuriam, ita tua Justitia latificat &
confortat beatos injuriatos in patientia ip-
forum.

29. Si tua Justitia, *Domine*, vincit &
cogit malitiam injuriosorum, benedicta sit
tua Misericordia, quæ est mater & amica
omnium illorum, qui eam invocant.

30. Cum tua Misericordia, *Domine*,
faciat gratiam patientiæ beatis injuriatis
patientibus, & tua Justitia præparet tor-
menta injuriosis; quare plus appetantur
& honorantur in hoc mundo homines in-
juriati, quam injuriati, qui confidunt in tua
Misericordia divina?

CAPUT LXXVI.

*QVOMODO NOSTER DOMINVS
DEVS sit justus inter hominem justum
& hominem peccatorem.*

1. **D**ivine Domine, sanctificate, gloriose!
a. **D**ivine Virtus & Honor dentur tuæ mag-
næ

Vol. I. Lib. II. Dist. XVI. Cap. LXXVI. 101
næ Justitiæ, quæ præmiat homines justos,
qui renuntiant bonis temporalibus pro tuo
amore, dando eis gloriam & beatitudinem
in altero sæculo.

2. Unde, quando homines justî, *Domine*, verâ intentione & pro tuo Amore
renuntiant rebus mundanis, tua Justitia eis
multiplicat multò majorem felicitatem &
beatitudinem, quàm sint res, quas relin-
quunt in hoc sæculo.

3. Quando homines sancti, justî, ve-
races contemnunt, *Domine*, vitam munda-
nam & desiderant vivere Tecum in tua
Gloria, tua sancta Justitia loco hujus bre-
vis vitæ, quam contemnunt, dat eis in Glo-
ria vitam perdurabilem infinitam.

4. b. *O Domine DEVS, qui resuscitas
mortuos & sanas infirmos !* Benedicta sit tua
sancta Justitia, quæ peccatores judicat ad
perdurabiles pœnas & ad infinitos labores,
quia in hoc mundo plûs timent pœnas fi-
nitas, quàm perdurabiles.

5. Et, quia plûs amant vanas delecta-
tiones transitorias, quàm beatitudines, quæ
nunquam

nunquam habebunt finem , ideo , *Domine*,
sunt digni torqueri in igne perdurabili.

6. Cúm peccatores, *Domine*, Tibi sint
culpabiles in corpore & anima , benedicta
sit tua Sententia, quæ eos punit in corpore
& anima; quia , sicut corpus Tibi est cul-
pabile per concupiscentiam vanarum de-
lectationum , & anima Tibi est culpabilis
per defectum sapientiæ, ita corpus & ani-
ma sustinebunt in altero sæculo pœnam, à
qua se non poterunt defendere.

7. c. *Singularis Domine sine pari & socio,*
abundans omnibus nobilitatibus & omnibus
honorificentis! Benedicta sit tua magna Jus-
titia & omne , quod tuum est; quia adeò
justus es , quòd homines peccatores , qui
inhonorant & maledicunt justos, quamvis
eos calumnientur & inhonorent , tamen
reputant eos bonos in suo corde: unde be-
nedicta sit tua Justitia , quæ in conscientia
peccatorum facit esse honoratos homines
justos.

8. Tuæ Justitiæ, *Domine*, detur & cog-
noscat Gloria & Honor; quia , licet ho-
mines

mines falsi, illegales, deceptores, vanigloriosi sint honorati in hoc mundo, tamen, qui eos honorant & laudant, cognoscunt eorum malitiam & falsitatem: unde benedicta sit tua Justitia, quæ in cogitationibus & mentibus aliorum punit eos, & facit eos reputari tales, quales sunt.

9. Propter magnam abundantiam Justitiæ, quam Tu, *Domine*, habes, es justus Judex inter hominem ignorantem & hominem scientem; quia, si homo ignorans per ignorantiam & per defectum scientiæ errat, tua Justitia eum excusat, & non punit eum gravibus pœnis; &, si homo sciens errat per nimiam præsumptionem scientiæ, tua Justitia eum punit gravibus pœnis, & non admittit ab eo ullam excusationem.

10. d. *Sanctificate Domine, Salvator tui populi!* Sicut ignis velociter comburit & delet lignum aridum; ita tua magna Justitia se movet ad puniendum & destruendum omnes illos, qui desperant de tua Misericordia.

11. Si

11. Si ignis, *Domine*, comburit totam domum, similiter comburit quicquid est in ea: unde, cum ego sim totus circumdatus & comprehensus intra tuam Justitiam, quia sum plenus peccato, valde paveo ipsam, ne faciat ardere meum corpus & meam animam in igne infernali.

12. Cum tua Justitia, *Domine*, me circumdet, & ego sim totus plenus peccato, quinam timor debet esse similis meo, cum mea anima sciat Te verum Judicem, cui nihil est occultum?

13. e. *O Domine, qui comprehendis omnia, & vincis & superas omnia, quæ Tibi resistunt!* Amor & reverentia & honor fiant tuæ Justitiæ, quæ non vult esse in paradiso delectationes cibi & potus, nec delectationes carnales virorum & mulierum; quoniam, si in gloria essent tales delectationes, tua Justitia non esset perfecta, quia ibi essent defectus.

14. Quia homines justī non debent glorificari in gloria, *Domine*, nisi à tua Gloria, nulla res, præter Te est digna dare
Gloriam

Gloriam in paradiso; & ideo rationabile & justum est, quòd homo non habeat gloriam nisi à Te & de Te.

15. Cùm inter corpus & animam homo non habeat nisi unum intellectum & unam mentem, est conveniens & justum, *Domine*, quòd homo non sentiat gloriam in paradiso comedendo nec bibendo; quia, si eam sentiret, oporteret eum habere uno tempore duas considerationes, quarum una glorificaretur in Te, & altera in cibis & potibus.

16. f. *Domine vere DEVS, qui liberas & defendis tuos beatos amicos à suis laboribus & à suis gravibus doloribus!* Cùm Tu sis justus in omnibus rebus, & tua Justitia comprehendat omnes vias & omnia loca, & ego sim valde peccator per omnes vias & per omnes meas partes, si ita sit, quòd puniar & torquear per omnes meas partes & vias, ubi erit tunc tua magna Misericordia, quæ est per omnia loca hujus mundi?

17. Cùm ego totus circumder & com-
pre-

prehendar à tua Justitia , *Domine* , supplico , & peto gratiam à tua sancta Misericordia , ut me protegat & defendat , ne tua Justitia me confundat & damnet ad perdurabilia tormenta.

18. Sicut invoco & oro & precor tuam benedictam Misericordiam , ut me defendat ab ira tuæ Justitiæ , ita peto gratiam , *Domine* , à tua sancta Justitia , ut defendat meam animam , ne sit serva & constricta sub corpore , quia non pertinet ad corpus esse supra creaturam nobiliorem se.

19. g. *Divine Rex Gloria, Principium & Finis omnium rerum!* Quia damnati ad ignem perdurabilem non confidunt in tua Misericordia , *Domine* , & desperant de ipsa , tua magna Justitia non permittit eos deleri & consumi à pœnis , quas sustinent , ut tantum duret eorum pœna , quantum durat desperatio , quam habent de tua Misericordia.

20. Cùm in cordibus damnatorum , *Domine* , non sit amor , & tua præsèntia sit absens ab oculis eorum , & tua Laus non
sit

sit in oribus ipsorum, tua Justitia tenet & tenebit eos privatos omni beatitudine & omni requie.

21. Dum meum cor potest amare in hoc mundo & potest confidere in tua Misericordia, & dum mei oculi possunt videre tuas vias, & meum os potest laudare Te, precor Te, *Domine*, ut facias meum cor amare Te, & confidere in tua Misericordia, & facias meos oculos respicere Crucem, & meam linguam moveri ad laudandum Te.

22. h. *Perdurabilis Domine, Pater omnium temporum* ! Sicut secundum rationem & justitiam tua ira debet esse supra me ratione mortalium defectuum, quos feci contra Te; ita precor & supplico tuæ sanctæ Misericordiæ, ut ira, quam debes habere contra me, extingatur per magnam abundantiam miserationis.

23. Reges & Principes. & magni Domini, quando homines viles miseri eos inhonorant, vel eis resistunt, pro nihilo hoc reputant, & non curant de inhonorationibus

bus & resistentiis ipsorum : igitur, cum Tu, Domine, sis adeò altus & nobilis Dominus, & ego sim adeò fragilis creatura, placeat tuæ Justitiæ non excitare se ad iram contra me, & pro nihilo reputare meos defectus.

24. Sicut Tu, Domine, non melioraris, si sim Tibi obediens & servus & benevolus ; ita non deterioraris, si sim Tibi inobediens & disserviens : igitur, quoniam Tibi nihil profunt meæ virtutes, nec Tibi nocent mei defectus, placeat Tibi non vel-
le uti in me solâ Justitiâ sinè Misericordia.

25. i. *O Magnitudo super omnes magnitudines ! O Virtus super omnes virtutes !*
Quando peccatores videbunt in die judicii se judicari justè, & scient contra tuam Sententiam nihil valere sophismata nec excusationes nec advocaciones, tunc cognoscent esse magnam tuam Justitiam.

26. Nam tua pretiosa Caro, quam assumpstisti in nostra Domina sancta MARIA, & tuus benedictus Sanguis, quem effudisti

in

in vera Cruce, tunc justè dicent peccatoribus, ut vadant ad damnationem in igne perdurabili, quia fuerunt ingrati tuæ Justitiæ & tuæ Misericordiæ.

27. Amores & fletus & suspiria & legalitas & veritas & gratitudo & fortitudo & continentia & omnes aliæ virtutes, quas habuisti, *Domine*, in hoc mundo in tua Humanitate, invitabunt beatos ad gloriam in die judicii per operationem rectæ & justæ sententiæ.

28. K. *Domine infinite, complete, perfecte, honorate, sanctificate, amate, gloriose!* In die judicii omnia plana & montes & maria & flumina & totum spatium, quod est à coelo usque ad terram, erunt plena tuâ Justitiâ: igitur, cum ego sim totus plenus peccato, ubi tunc inveniam tuam Misericordiam?

29. Sicut mei oculi, *Domine*, non audent directè aspicere solem, quando est in sua fortitudine, ratione splendoris exeuntis ab eo; ita in die judicii, si ita sit, quod non inveniam tuam Misericordiam, non audebo

110 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
audebo stare directè coram tua justa Sententia.

30. Cúm Tu, *Domine DEVS*, sis
suprema Bonitas & suprema Perfectio virtutum, si ita sit, quòd inveniam tuam Justitiam, placeat Tibi, ut eam inveniam cum tua Misericordia; quoniam tua Misericordia est in tua Substantia Virtus & Proprietas divina.

CAPUT LXXVII.

*QUOMODO DEVS SIT JUSTUS
in hominibus Catholicis & in infidelibus.*

1. **O** *DEVS* large super omnes largitates, perfecte in omnibus bonitatibus, benevolite per omnes terras! Gloria & gratia & benedictio sint, *Domine*, tuæ Justitiæ, quæ vult fideles Christianos habere veram Fidem; quam possident per doctrinam suorum parentum.

2. Aliqui Christiani sunt, qui habent
veram

veram Fidem per demonstrationem sapientiae & intellectus, & aliqui, qui habent eam sinè ulla demonstratione: unde benedicta sit, *Domine*, tua magna Justitia; quia quidam merentur gloriam per hoc, quòd credant veritatem per Fidem, in qua sui parentes eos posuerunt, & alii merentur gloriam, quia per sapientiam percipiunt veram Fidem.

3. „Tuus servus, *Domine*, & tuus capitivus Te adorat & laudat & benedicit, „quia ei fecisti gratiam, quòd sit fidelis „Catholicus ratione sui patris & suae matris, qui fuerunt fideles Christiani; & etiam Te laudat & Tibi agit gratias, quia „eum certificasti in Fide christiana ratione verarum probationum & significatorum & manifestarum rationum, quas „invenit in *Libro Petitionum & Questionum*.

4. b. *Sapiens Domine, patiens, Directio & Lumen fidelium Catholicorum* ! Infideles, qui sunt in errore per suos parentes, qui eos posuerunt in fide & credentia erroris, putant

putant esse excusati à tua Justitia, & dicunt se velle credere id, quod sui parentes & avi & proavi & antecessores crediderunt; & propterea nolunt aspicere secundum intellectum & rationem, an fides, in qua sunt, sit vera vel falsa: unde, sicut sui parentes cœcè secuti sunt suos antecessores, ita filii cœcè sequuntur suos parentes.

5. Alii infideles sunt, *Domine*, qui sunt in errore, quia affirmant ea, quæ fiunt per operationem naturæ, & evitant credere ea, quæ fiunt per operationem virtutum contrariantium cursui naturali; unde omnis iste error est in eis per hoc, quod nimis utantur potentiâ imaginativâ, & parum potentiâ rationali.

6. Quia infideles, *Domine*, plûs affirmant res, quæ cadunt in imaginationem per cursum naturæ, quàm res, quæ cadunt in rationem per cursum justitiæ & ordinationis, ideo sunt in errore, & debilitant & destruunt directionem potentiæ rationalis in hoc, quod imaginativa non offe-

rat rationali id, quod ei esset necessarium recipere; & propterea illorum ratio sequitur imaginationem, sicut homo ambulans in tenebris sequitur præeuntem.

7. c. *Placens Domine, plene Gratiâ & Pietate & Sanctitate!* Hæretici & infideles, qui sunt in errore per credentiam, in qua sui parentes eos nutritiverunt, difficilioris convertuntur, quàm qui sequuntur rationes & amant probationes; quia non amanti probationes nihil valent rationes & argumenta, & amanti ipsas, multùm valent, quoniam sunt ei occasio exeundi à falsa opinione & credentia.

8. Nam, sicut homo fortis habet potestatem prosterndi debilem, ita, *Domine*, quando evenit, quòd falsa argumenta & falsæ rationes pugnent contra veras rationes & probationes, veræ habent potestatem vincendi & destruendi falsas.

9. Quamvis infideles, *Domine*, qui sunt in errore per fidem suorum parentum, plus ament fidem, quàm rationes & argumenta, tamen non est impossibile eos eji-

cere de suo errore per continuationem rationum & verarum probationum; quia quando sua imaginativa imaginatur rationes, quæ ei multoties proponuntur, non potest eas non offerre potentiæ rationali; &, quando ista eas recipit, concordat cum eis, quia sunt suæ naturæ, & ita per convenientiam, quæ est facta in rationali potentia infidelis, cognoscit ipse & percipit suum errorem & suum defectum.

10. d. *Vere Domine, nobilis in omnibus nobilitatibus* ! Benedicta sit tua Iustitia, quæ nobilitavit Catholicos super omnes alias gentes; quia ipsi affirmant ea, quæ fiunt per cursum naturæ, & credunt ea, quæ fiunt contra ipsum.

11. Unde per hoc fideles Christiani, *Domine*, habent perfectionem Fidei, quia omnia vident esse possibila tuæ Sapientiæ & tuæ Potestati, sive sint secundum operationem naturæ, sive secundum operationem miraculosam.

12. Unde gloria & honor & gratiarum

Vol. I. Lib. II. Dist. XVI. Cap. LXXVII. 115
rum actiones fiant, *Domine*, tuæ Justitiæ,
quæ adeò magnam differentiam posuit in-
ter fideles & infideles; quia fideles habent
majorem respectum in operatione, an de-
beat fieri vel non secundum dispositio-
nem tuæ Sapientiæ, quàm secundum dis-
positionem naturalis potestatis; & infideles
plùs respiciunt, an possit fieri secundum
dispositionem potestatis naturalis, quàm
secundum dispositionem tuæ Potestatis &
Sapientiæ.

13. e. *Gratiosè Domine, abundans gratiâ
& benedictione!* Tuæ Justitiæ sit gloria &
honor; nam, quia fidelis Catholicus credit
ea, quæ sua imaginativa non potest com-
prehendere nec imaginari, & tamen ea
credit, ideo meretur remunerationem; quo-
niam in hoc confitetur & fatetur Te posse
plus facere, quàm sua imaginatio compre-
hendere.

14. *Amorosè Domine!* Non est ita de
infidelibus, quia ipsi nolunt credere in
tuis operibus ultra id, quod sua imaginatio
potest imaginari, imò discredunt omne id,
quod

116 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

quod transcendit ipsam ; & propterea se
jactant tantum intelligere, quantum tua
Potestas possit operari; & hoc est magnus
error & magna hæresis, ratione cujus tua
Justitia eos damnat ad perdurabiles labo-
res.

15. Omnes Catholici tenemur, *Domine*,
devotè & lætanter & alacriter dare
laudes de tua Justitia, quæ dat nostræ Fi-
dei præmium gratiæ & benedictionis per-
durabilis, & dat infidelibus infinitas poenas
ratione suæ falsæ credentiæ.

16. f. *O grate Domine, plene benedictio-
ne, liberalis in omnibus bonis* ! Cùm sint ali-
qui infideles, qui putant placere Tibi per
credentiā, in qua sunt, & per opera, quæ
faciunt, quamvis sua intentio sit laudabi-
lis, tamen secundum tuam magnam Justi-
tiam ipsi non salvantur; quia, cùm non ha-
beant veram Fidem, tua Justitia non ad-
mittit eos venire ad gloriā, quoniam non
incedunt per credentiā nec per opera viæ
veritatis.

17. Tuæ sanctæ Justitiæ, *Domine*
DEVS,

DEVS, detur laus & honor, quæ hæreticis & infidelibus dat remunerationem, quando habent bonam intentionem opinando suam fidem esse veram, & opera quæ faciunt, Tibi placere; quoniam propter bonam intentionem, quam habent erga Te, eis allevias infernales pœnas, ne sint adeò magnæ, sicut essent, si tam bonam intentionem non haberent.

18. Quando Catholici moriuntur in peccato, benedicta sit, *Domine*, tua Justitia, quæ eos forcius torquet, quàm infideles, qui moriuntur in bona intentione; quia, sicut infideles perdunt salvationem propter defectum veritatis, quam non credunt, ita Catholici debent plus torqueri, qui non fuerunt amatores Veritatis.

19. g. *Domine, cui servitium, honor, amor & obedientia debentur*! Si infideles intrant in infernum, hoc fit, quia sequuntur viam, à qua venit peccatum, hoc est peccatum Adami, quod fuit principium omnis peccati.

20. Qui est infidelis, *Domine*, per hoc, quòd

quòd sua credentia sit extra veritatem, deviatio à veritate facit ei apparere, quòd Tu creaveris hominem plús, ut possideat gloriam, quàm ut in eo cognoscatur tua magna Bonitas: unde, si hoc ita esset, sequeretur, quòd homo esset creatus plús ad possidendum gloriam, quàm ad cognoscendum tuam Nobilitatem.

21. Igitur, *benedicte Domine*, benedicta sit tua Justitia, quia Catholici non habent talem intentionem; quoniam, quando imaginantur & perpendunt causam, propter quam dedisti *esse* homini, confitentur & fatentur hominem devenisse in *esse* plús, ut Te laudet & amet & honoret & cognoscat & Tibi serviat, quàm ut possideat gloriam: unde, quia Catholici habent istam intentionem ordinatam, ideo confitentur Creatorem habere majorem amorem ad se ipsum, quàm ad suam creaturam.

22. h. *Singularis Domine, DEVS amorose, plene benignitate & dulcedine* ! Si infideles fatentur & confitentur non esse, nisi

unum

Vol. I. Lib. II. Dist. XVI. Cap. LXXVII. 119
unum Dominum sinè pari & socio, hoc
idem fatentur & confitentur fideles.

23. *Gloriose Domine!* Sicut infideles
non audent credere in tuam Trinitatem,
quia timent, ne credant in tres Deos, ita
Catholici non audent dubitare in ipsam,
quia timent, ne credant contra tuam Uni-
tatem.

24. Quantam virtutem & nobilitatem
dant & attribuunt tuæ divinæ Essentiæ in-
fideles, *Domine*, per suam fidem, tantam &
adhuc multò majorem ei attribuunt Ca-
tholici per hoc, quòd credant in tuam Tri-
nitatem & in tuam Incarnationem.

25. i. *Pretiose Domine, Consolator orpha-
norum & tribulatorum!* Tibi detur omnis
sanctitas & benignitas & pretiositas; nam
infideles dubitant credere in tuam Incar-
nationem, quia putant, quòd per eam
perverteretur Deitas in humanitatem; &
sic putant, quòd Deitas habuisset passio-
nem & fuisset mortua.

26. Unde, sicut infideles, *Domine*, evi-
tant credere tuam Deitatem esse conver-
sam

fam in Humanitatem, & sustinuisse Passionem, ita id ipsum evitant credere Catholici; quia nullus fidelis Christianus credit tuam Deitatem reliquisse esse divinum, & se mutasse in humanam naturam, nec habuisse passionem & mortem.

27. Imò credunt, *Domine*, Humanitatem, quam assumpsisti, solum sustinuisse laborem & mortem, quin Deitas aliquid sustinuerit, nec fuerit ullatenus mutata nec alterata de sua natura.

28. K. O verum Lumen, Splendor & Lux omnium aliorum luminum & Directio omnium benedictionum! In quantum tua gratia aggratiavit Catholicos per veram Fidem super infideles, in tantum, *Domine*, sunt fideles onerati & obligati ad demonstrandam veram Fidem infidelibus.

29. Sed, quia nos, *Domine*, sumus occupati in congregando delectationes & vanitates in bonis temporalibus, ideo obliviscimur & discognoscimus onus & obligationem, in qua sumus, amandi & juvandi & dirigendi infideles, qui ratione nostri

Vol. I. Lib. II. Dist. XVI. Cap. LXXVII. 121
tri defectus manent excœcati in tenebris
infidelitatis.

30. „Unde de ista injuria, quam nos,
„*Domine*, facimus infidelibus in hoc,
„quòd eis non prædicemus, nec eos instru-
„amus, ut exeant de suo errore, conque-
„rentur apud Te in die judicii, & male-
„dicti erunt illi, qui non habebunt suffi-
„cientem excusationem: unde tuus servus,
Domine, agit Tibi gratias, quia ei dedisti
gratiam perficiendi istam Distinctio-
nem, quæ tractavit de gloriosa
Justitia divina.

DISTINCT.



DISTINCT. XVII.

DE LARGITATE NOSTRI DO-
mini Dei.

CAPUT LXXVIII.

QVOMODO NOSTER DOMINVS
DEVS sit largus erga omnes creaturas.

1.
a.



EVs misericors, pie,
supreme in omnibus bo-
nis ! Gloria & Honor
& Sanctitas & Nobili-
tas, Domine, cognos-
cantur tuæ sanctæ Lar-
gitati, quæ per suam

magnam abundantiam & liberalitatem de-
dit esse omnibus creaturis.

2. Non solum tua Largitas demon-
stratur esse magna, Domine, in hoc, quod
dederit esse creaturis, sed etiam in hoc,
quod eas sustentet, quia omnes deicerentur

&c

& reverterentur in nihilum, nisi tua Largitas eas sustineret in *esse*.

3. Cúm tua Largitas, *Domine*, debeat laudari, quia dedit *esse* creaturis, & quia eas sustinet in *esse*, etiam debet laudari, quia creaturis appropriavit proprietates, & dedit naturam, quâ habeant modum vivendi & inquirendi res, quæ eis sunt necessariae ad vivendum.

4. b. *Creator Domine, sapiens super omnes Sapientias* ! Benedicta sit tua Largitas, quæ dedit vegetabilibus radices, quibus sumant vitam, & dedit eis branchas & flores & folia & fructus & semina, per quæ repullulent & renoventur, ne sua natura pereat.

5. Debes etiam, *Domine*, cognosci largus, quia Tibi placuit dare vegetabilibus pluvias & aquas & ventos & calores & frigora & humiditates & siccitates, ut possint multiplicari & fructificare super terram.

6. *Amorose Domine* ! Laudetur tua Largitas, quæ dedit vegetabilibus terras
planas

planas & montuosas & loca diversa, secundum quod eorum qualitates requirunt.

7. c. *Æterne Domine, mirabilis, patiens, plene gratiâ!* Benedicta sit tua magna Largitas, quæ dedit animalibus plantas & campos & nemora, ut habeant, unde & ubi vivant.

8. Tua Largitas, *Domine*, dedit aliquibus animalibus vivere ex herbis & seminibus, & aliquibus vivere ex aliis; & benedicta sit tua Largitas, quæ dedit animalibus pellem & lanam, ut eis sit vestimentum.

9. Dedit etiam, *Domine*, tua Largitas avibus plumas pro vestimentis, & alas ad volandum, & rostrum ad comedendum, & pedes ad eundum, & ungues ad capiendum, & arbores, ut in eis nidificent & habitent.

10. d. *Domine magne, Domine fortis, Domine liber!* Gloria & honor sint tuæ honoratæ Largitati, quæ dedit piscibus maris aquas salvas, in quibus vivant, & piscibus fluminum aquas dulces: unde omnia supradicta

Vo. I. Li. II. Di. XVII. Cap. LXXVIII. 125
dicta ostendunt tuam Largitatem.

11. *Beate Domine!* Tu dedisti cuilibet animalium idioma secundum suam speciem, per quod idioma quodlibet intelligit suum simile, & unicuique dedisti vocem, quâ cantando soletur & jucundetur.

12. In quantum in terra & in mari & in fluminibus & in aere crescunt & multiplicantur animalia & vegetabilia, in tantum demonstratur in eis, *Domine*, tua magna Largitas: igitur, cum animalia & vegetabilia sint tot & tam diversa, quis posset æstimare & comparare Magnitudinem & Nobilitatem tuæ Largitatis?

13. e. *O Rex Regum! O Domine Dominorum!* Gloria & amor cognoscantur in tua Largitate; quia adeo est magna, quod non sit creatura, quæ tantum posset dare, quantum Tu ei dares; quoniam, quod plus dant creaturæ, eo plus se extendit tua Largitas dando eis potestatem dandi.

14. Cum tua Largitas, *Domine*, sit adeo magna, quod nec cor nec intellectus sufficiat

ciat ad intelligendum & comprehendendum ejus Magnitudinem, quis est ille miser, qui conqueratur de tuis donis, & ille infelix, qui desperet de tua Misericordia?

15. Cúm Tu, *Domine DEVS*, sis adeò largus in dando, beati sunt omnes, qui Tibi dant suum cor, ut sit locus, in quo Te ament, & timeant, & velint, & desiderent.

16. f. *O Domine DEVS*, qui dirigis errantes & illuminas cæcos & confortas fragiles! Cúm Tu sis adeò largus & liberalis in tot rebus & tot creaturis, rationabile est, quòd omnes viri & mulieres dent clamores & cantica & voces & laudes & benedictiones de tua magna Largitate.

17. Nam sicut Tu, *Domine*, das placita & delectationes animalibus, quando alia solantur & delectantur cum aliis, ita habes placitum, quando tui populi Te amant & honorant & colunt & sanctificant.

18. Si Tu, *Domine DEVS*, es adeò largus

largus & liber & liberalis erga tuum populum de bonis hujus mundi, quis est ille inconsideratus, qui sit avarus in suo corde in amando Te, & in suo ore in laudando Te? & quis est ille, qui est piger in elevando suos oculos versús cœlum?

19. g. *Æterne Domine, Principium & Finis omnium creaturarum, Pater & Domine omnium rerum!* Tua Largitas se extendit in aliquibus creaturis plús, quàm in aliis; quia quasdam fecisti majores & meliores & pulchriores & nobiliores aliis, & quibusdam dedisti dominium super alias.

20. Cum quædam animalia irrationalia, *Domine*, obediant aliis, & quædam timeant alia, deberemus omnes amare tuam Largitatem, quæ nos nobilitavit super omnia alia animalia, & omnes deberemus eam revereri & honorare.

21. Sed ego, *Domine*, me reputo valde vilem & culpabilem, quia cogito animalia irrationalia recognoscere placita, quæ eis fiunt, & etiam displicita, & ego nunquam scivi honorare nec revereri tuam Largitatem,

tem, quæ me nobilitavit humano esse, nec cognovi meos inimicos nec Te, qui es meus bonus amicus.

22. h. *O Domine, qui es Coactor & Victor omnium rerum, quæ Tibi resistunt!* Benedicta sit tua magna Largitas, quæ in donis, quæ dedit, & dat animalibus irrationalibus convenienter secundum esse & dispositionem ipsorum, docet nos à Te petere dona, quæ sunt nobis necessaria secundum nostram dispositionem.

23. Si Tu, *Domine*, es largus vegetabilibus & animalibus irrationalibus & aliis creaturis, quæ non habent cognitionem de Te, manifestè videtur, quòd debeas esse largus & gratiofus hominibus, qui habent cognitionem de Te, & sunt amatores & laudatores tuæ magnæ Largitatis.

24. Veruntamen, *Domine*, cum ego fuerim adeò peccator, & sim adeò culpabilis, quia Tibi fui ingratus, & discognovi bona, quæ mihi dedisti, multò digniores sunt bestiae possessione donorum, quæ eis dedisti, quam ego illorum, quæ mihi dedisti.

disti.

25. i. *Domine, qui dirigis & ducis Catholicos & homines sanctos ad perdurabilem gloriam!* Tu dedisti multas bonas proprietates animalibus & vegetabilibus; propter quæ dona nos deberemus amare omnia illa, quæ à Te donum recipiunt.

26. Sed quia nos, *Domine*, sumus res viles, & non habemus intelligentiam & cognitionem; ideo amamus creaturas propter se ipsas plús, quàm propter dona, quæ eis dedisti.

27. Propterea, *Domine*, erramus, quia valde mirum est, quòd aliquis amet dona, quæ recipit plús, quàm datorem illorum donorum.

28. K. Tibi, *Domine DEVS*, qui audis omnes, qui Te invocant, & exaudis omnes, qui in Te confidunt, detur gloria & honor; quia omnia dona, quæ dedisti vegetabilibus & animalibus, quodlibet ipsorum amat & habet ea chara, quantum potest.

29. Et quòd hoc ita sit, in quolibet
I ipforum

ipforum demonstratur, quotiescunque quædam individua velint destruere alia; quia quodlibet nititur, quantum potest, sustinere se in *esse*, ne pereat, & ne suæ proprietates & sua natura transeant in alias proprietates & in aliam naturam.

30. Cum omnia tua dona sint bona, & sint dona perfecta, *Domine*, & omnes, quibus das, ament ea, quæ eis das; si nos essemus tales, quales deberemus esse, haberemus magnam rationem laudandi & benedicendi tuam magnam Largitatem divinam.

CAPUT LXXIX.

**QVOMODO NOSTER DOMINVS
DEVS** sit largus erga hominem, quia ei
dedit esse humanum.

1. **O** *DEVS* liber, liberalis, large super
a. omnes largitates! Tibi, *Domine*,
sit gloria & benedictio, qui es adeò largus
Dator erga hominem, quòd ei dederis esse
hu-

Vol. I. Lib. II. Dist. XVII. Cap. LXXIX. 131
humanum, quod est valde altum & nobile
donum.

2. Sicut Tu, *Domine*, nobilitasti hominem per *esse* humanum, quod ei dedisti, ita ipsum nobilitasti per opera virtutum, per quæ possit venire ad perpetuam benedictionem.

3. Cùm Tu, *Domine DEVS*, nobilitaveris hominem per creationem quantum ad suum *esse* & quantum ad sua opera, magnam rationem habet homo Te laudandi & benedicendi & memorandi, & Tibi gratias agendi propter magna dona, quæ ei dedisti.

4. b. *Patiens Domine, Remissor, Sustentator & Adjutor noster*! Si Tu dedisti homini magna & multa dona, rationabile est, quòd ipse sit liberalior & largior erga Te, quàm aliæ creaturæ, quibus non tantum dedisti.

5. *Honorate Domine*! Cùm Tu dederis mihi tuo servo *esse* humanum, & ego totâ meâ vitâ fecerim opera bestialia, quid erit de me, qui non servavi, quod Tibi promisi,

nec

nec fui Tibi gratus pro bonis, quæ mihi dedisti, nec cognovi dominium, quod habes in me?

6. Sicut tua Largitas, *Domine*, est super omnes alias largitates, ita mea avaritia transcendit omnes avaritias; nam sicut Tu es largior, quia das nobiliora dona, quàm a iis, ita ego sum avarior viliorum donorum, quàm alius.

7. c. *Æternæ Domine, perdurabilis, Principium & Finis omnium rerum*: Sicut Tu es laudandus ratione Largitatis, ita homines sunt reprehendendi ratione avaritiæ; quia, sicut Tu es largior erga homines, quàm erga alias creaturas, ita homines sunt avariores erga Te, quàm erga aliam rem.

8. Benedictus sis, *Domine DEVS*, qui vis homines, qui sunt avari erga Te, plus carere donis gratiæ, quæ Tu das, quàm homines, qui sunt largi erga Te.

9. Cùm tua Largitas, *Domine Deus*, Te faciat esse Creatorem & Dominum & Benefactorem nostrum, maledicta est cupiditas, quæ facit homines discognoscere bona,
quæ

quæ recipiant à Te, & gratias, quas tua Largitas eis facit.

10. d. *O Domine DEVS, qui complēs & servas omnia, quæ promittis!* Cùm omnes alii datores non possint dare adeò nobilia dona, sicut Tu das, & omnes sint avari respectu tuæ Largitatis, stulti sunt omnes, qui ab alio petunt, nisi à Te, & qui ab ullo alio domino sperant dona, nisi à Te.

11. Igitur stultus fui, *Domine*, qui petii dona ab hominibus divitibus, qui sunt avariores pauperibus; & stultus fui, quia, quando inveniebam in eis avaritiam, non recurrebam ad tuam magnam Largitatem.

12. *O Liber Domine, plene Gratiâ!* Nulla amentia & stultitia est comparanda cum illa, quæ est in hominibus petentibus ab aliis, in quibus est fons ingratitudinis & avaritiæ, & in obliviscentibus tuam Largitatem, quæ est fons vivus durabilium donorum & perdurabilis beatitudinis.

13. e. *Sapiens Domine, sciens omnia, à quo nulla res sunt absconditæ!* Homines lar-

134 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

gi & boni datores libentiùs dant nobilia dona, quàm vilia: igitur, qui vult esse largus erga Te, primum, quod Tibi debet dare, est suum corpus & sua anima, & postea omnia, quæ possidet.

14. Si homo Tibi, *Domine*, primò det corpus & animam, faciliùs poterit Tibi dare de suis denariis vel de suo frumento & de aliis rebus, quas possidet; quia, qui dat se ipsum, faciliter dabit, quidquid possidet.

15. „Cùm ego, *Domine*, in meliori tempore meæ ætatis me dederim totum „peccato, & omnia, quæ possidebam, sub- „jecerim & disposuerim ad peccatum, & „cùm nunc non sim in tam bona ætate sicut eram, nec habeam tot bona temporalia, quot habebam, si nunc velim Tibi dare me ipsum & omnia mea, non videtur mihi, quòd magnam gratitudinem debeas mihi habere.

16. f. *O Domine DEVS, qui custodis & defendis tuos fideles amicos à suis mortalibus inimicis! Sicut nullus homo potest*
amare,

amare, quin habeat amorem, ita nullus homo potest esse largus, quin Tibi det se ipsum & omnia, quæ possidet.

17. Si homo, *Domine*, daret tantum thesaurum, quantus caperetur super faciem terræ, adhuc non haberet tantam largitatem in se ipso, quantam qui daret totam suam animam Tibi; quia melius donum dat, qui dat Tibi suam animam, quàm qui daret totum mundum plenum auro & argento.

18. Laudetur & benedicatur, *Domine DEVS*, tua Largitas; quia, ut habeas occasionem nobis dandi, petis à nobis, ut Tibi demus: unde, quia sumus pleni cupiditate, Tibi negamus, quando à nobis petis; & quia Tu es plenus Largitate, nobis das magna & nobilia dona.

19. g. *Domine aterne, gratiose, amorose!* Cùm homines reputentur largi per hoc, quòd dent illis, qui ab eis petunt, quantò plùs debes reputari largus per hoc, quòd des illis, qui à Te petunt, & qui à Te non petunt, & maximè cùm tua dona sint perdurabilia?

136 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
durabilia?

20. *Liber Domine!* Adeò est magna mea cupiditas, quòd non solum non dem illis, qui à me non petunt, sed neque illis, qui à me petunt: igitur, quòd abiit largitas, & quare non venit ad me? & quare cupiditas me tenet adeò ligatum & non discedit à me?

21. Si homines, *Domine*, sunt largi, quando Te laudant & benedicunt, & quando dant pauperibus pro tuo amore, non sunt avari illi, qui pro tuo amore effundunt suum sanguinem, & permittunt suam animam separari à corpore per viam Martirii.

22. h. *Benigne Domine, plene dulcedine & amore!* Cum Tu dederis tot & tam magna dona tuo subdito, quòd non possent numerari, nec posset imaginari magnitudo illorum; ideo non cessat tuus servus petere à Te dona; quia nulla dona possent ei sufficere, nisi ultra peteret à tua Largitate.

23. Sicut homo, *Domine*, non potest agere Tibi tot grätias quot sunt dona, quæ
ei

ei das, ita non est ullus homo, qui posset tantum à Te petere, quanta sunt dona, quæ ei das, & quæ sunt ei necessaria.

24. Quando nos, *Domine*, deficimus in agendo Tibi tot gratias, quot sunt dona, quæ das, hoc accidit, quia major est tua Largitas, quàm sit in nobis cognitio donorum, quæ das: unde, sicut nostra cognitio non potest comprehendere tuam Largitatem, ita non sufficit ad sciendum omnia dona, quæ nobis sunt necessaria.

25. i. *Gratiosè Domine, cui placet omnis largitas & omnis libertas & omnis liberalitas*: Tu dedisti mihi esse humanum, quod est valde nobile esse: igitur, cum Tu mihi tantum dederis, quare absque ulla causa sum adeò avarus erga Te? & quare deveni tuus inimicus?

26. Tuæ magnæ Largitati ago, *Domine*, gratias & laudes, quæ me adeò inamoravit de Te, cum essem avarus erga Te, ut nocte & die me faciat desiderare, quomodo possim dare totum me ipsum pro Te.

138 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

27. Ab hora, quâ Tu, *Domine*, me beneficiaſti amore, ſum amicus & benevolus illarum rerum, quas antea odiebam & contemnebam, & deveni inimicus vanitatum, quas antea amabam & appetiabam.

28. K. *Divine Rex Gloria, plene omnibus bonis & omnibus Virtutibus!* Dona, quæ Tu, *Domine*, das, ſunt perfectæ, quia es perfectus in Largitate & in omnibus bonis; & dona, quæ nos damus, ſunt defectuoſa, quia adeò ſumus res cupidæ, quòd non poſſemus eſſe cupidiores.

29. Per dona, quæ Tu, *Domine*, das, demonſtratur tua Largitas, & per dona, quæ nos damus adinvicem, demonſtratur noſtra cupiditas; quia, ſicut Tu reputaris largus, quia das de tuis rebus, ita nos debemus reputari cupidi, quia damus res, quæ non ſunt noſtræ, nec ſunt dandæ à nobis.

30. Tuus ſervus, *Domine*, Te laudat & Te precatur vero ore & devoto corde & lacrymoſis oculis, & confidit in tua magna Largitate, quæ eſt ſinè fine, & petit à
Te

Te dona benedictionis & gratiæ, quia talia dona debent peti à tua Largitate divinis.

CAPUT LXXX.

QUOMODO NOSTER DOMINVS
DEVS sit largus, quia dat hominibus
bona temporalia.

1. **D**ivine Rex Gloriæ, Dominator omnium rerum! Laudes & honores & gratiæ fiant Tibi, qui nobilitasti hominem per magna dona, quæ ei dedisti faciendo eum dominum elementorum & vegetabilium & omnium animalium irrationalium.

2. Nam ab igne, Domine, accipimus lucem, & igne calefacimus nos, & coquimus nostros cibos, & aere respiramus & refrigeramur, & aquâ lavamus & potamus nos, & terrâ collocamur in nostris habitationibus, & à vegetabilibus & animalibus sumimus vitam & servitium.

3. Adeò

3. Adeò magna est tua Largitas, *Domine DEVS*, quòd omnium istorum bonorum dederis sufficientiam hominibus, siue sint iusti siue iniusti, siue veraces siue mendaces, quoniam omnibus das sufficientiam bonorum temporalium.

4. b. *O Liber Domine, plene Gratiâ!* Sicut Tu dedisti homini magna dona ratione tuæ Largitatis, ita homo deberet esse largus pro amore Tui & nihil deberet sibi retinere, sed omnia Tibi dare.

5. Non est, *Domine*, qui possit impedire nec auferre dona, quæ Tu das homini, quando vis illa ei dare; & si Tu non velis homini dare, non est, qui Te possit cogere ad dandum.

6. *Laudate Domine!* Adeò magna sunt dona, quæ Tu das homini, quòd non possit æstimari nec cogitari in corde hominis, quanta sint illa dona.

7. c. *Laudate Domine, amate, magnificate, honorate!* Sicut homo avarus ratione avaritiæ dat res viles & parvæ utilitatis, & retinet sibi bonas, ita Tu ratione tuæ

Lar-

Largitatis das hominibus bona & utilia dona.

8. Sicut homo largus, *Domine*, se demonstrat largiorem, quando dat meliora dona, & quando dat illis, qui ab eo non petunt; ita Tu Te demonstras largiorem, quando das hominibus, quia à Te non petunt.

9. *Vere Domine*! Illi homines sunt largi, qui multum dant, & qui dant plus, quàm ab eis petatur, & qui dant meliores res, quàm ab eis petantur: igitur largus es Tu, *Domine*, qui tantum das, & qui meliora dona nobis das, quàm à Te petamus; & quando putamus Te non dare, adhuc das.

10. d. *Domine amate & appretiate, Domine volite*! Illos quibus homo dat, amat homo secundum dona, quæ eis dat: igitur, qui Te amant, si Te multum amant, multum Tibi debent dare; &, qui parva dona Tibi dant, significant, quòd Te parum ament.

11. Sicut largitas est proprietas, ratione

142 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

ne cuius bonus dator non tristatur in dando, ita avaritia est proprietas, ratione cuius avarus non tristatur in petendo & accipiendo: igitur, quia Tu, *Domine*, es supremus Dator, ideo tua dona non cessant, nec nos cessamus à recipiendo & petendo.

12. Adeò largus Dator es Tu, *Domine*, quòd, in quocunque loco homo sit, ei des, & in quocunque loco à Te petat, ei des; sed non est ita de nobis, quia sumus adeò pleni avaritiâ, quòd omnia loca nobis sint contraria ad dandum.

13. c. *Invocate Domine, laudate, adorate!* Quò plús homo Tibi dat, eò plús tua Largitas ei dat, & eò plús eum ditat, & ei multiplicat gloriam & benedictionem; &, quò plús homo est avarus erga Te, eò plús est pauper & carens gloriâ & benedictione.

14. Sicut melior operatio, quam homo possit facere, *Domine*, est dare, ita peior est auferre: igitur, cùm dare sit à largitate, & auferre ab avaritia, melior res,

quæ

quæ sit in homine, est largitas, & peiores est avaritia.

15. Cùm dare, *Domine*, sit res adeò bona, quomodo potest esse, quòd non demus, dum habemus, quid demus? & quare non damus, cùm habeamus potestatem dandi? & quare avari non dant pauperibus dona, quæ eis das? & quare volunt habere ea, quæ non vis eis dare?

16. f. *Domine DEVS, qui es invocatus in omni tempore, & inventus in omni loco!* Benedicta sit tua magna Largitas; quia, quantumcunque multum des, adhuc Tibi remanet, quod des: igitur stulti sunt omnes, qui propter multa dona, quæ eis das, cessant à Te petere.

17. Tua Largitas, *Domine*, dedit mihi multa nobilia & mirabilia dona, & mea cupiditas petivit à Te multa dona, quæ sunt vilia & transitoria & paucæ utilitatis.

18. Tu, *Domine*, es mihi adeò largus Dominus, & adeò me obligasti per multa dona, quæ mihi dedisti, quòd ego
per

per meam magnam cupiditatem inde devenerim ingratus & inobediens tuis mandatis.

19. g. *O Domine, qui es vera Sanctitas & vera Charitas & verus Splendor !* Licet ita sit, quòd mihi dederis multa dona in hoc sæculo, parum mihi proderunt, nisi mihi des tuum amorem; quia omnia dona non possent mihi sufficere sinè ipso, & nullus homo est adeò culpabilis, sicut ille, qui recipit multa dona à suo domino, & non habet amorem erga ipsum.

20. Cùm Tu, *Domine DEVS*, tantum amaveris me tuum servum, & mihi tantum dederis, & ego Tibi fuerim adeò avarus, quòd meum esse voluerim auferre à tuo servitio, mihi opus est memorare tuam Misericordiam, & derelinquere meam magnam avaritiam.

21. Si tu, *Domine*, fuisti valde largus Dominus erga tuum subditum, tuus subditus fuit erga se ipsum avarior, quàm erga ullam aliam rem; quia major avaritia, quam homo potest habere erga se ipsum, est,

Vol. I. Lib. II. Dist. XVII. Cap. LXXX. 145
est, quòd se non det totaliter obedientiæ
tuorum mandatorum.

22. h. *Desiderate Domine, amorose, dul-*
cis & simplex & suavis! Natura largi do-
mini est non expectare occasionem, ut ab
eo petatur, nec ipse melius dat uno tem-
pore quàm alio, imò omnia tempora sunt
ei æqualia ad dandum, secundum quod
convenit.

23. *Gloriose Domine!* Natura hominis
avarì est non velle dare in sua vita, dum
dona ei essent proficua, & expectat dare
in fine suorum dierum, quando amplius
non potest possidere divitias, & quando
sua dona non sunt grata.

24. Sicut Tu, *Domine*, dedisti homi-
ni plus, quàm ipse mereatur, ita tenere-
tur homo Tibi dare ultra suam potestatem
& ultra suas vires, si posset fieri, licèt ab
eo non velis, nisi id, quod potest, & ad
quod se extendunt suæ vires.

25. i. *Supreme Domine, magne super om-*
nes magnitudines, alte super omnes altitu-
dines! Cùm Tu petas ab aliquibus diviti-

K

bus

bus plus, quàm ab aliquibus pauperibus, & petas ab aliquibus pauperibus plus, quàm ab aliquibus divitibus, qui bene volunt procedere & volunt cavere, ne eos reputes avaros, nullatenus possunt hoc melius facere, quàm dando Tibi quidquid possident, quin aliquid sibi retineant.

26. Ab homine largo, *Domine*, quoniam est dives & dat libenter, melius est petere, quàm auferre: quare igitur homines pauperes auferunt ab homine divite, qui libenter dat, & non petunt ab eo, ut eis det? & quare non petunt à Te id, quod à divite auferunt.

27. Adeò largus Dominus es, *Domine*, quòd omni die nobis des & nobis committas & nobis commodes, & nobis plura tribuas, quàm sciamus Tibi grati esse; & nos sumus adeò cupidi, quòd non sufficiat nobis cor ad dandum nec ad commodandum nec ad commendandum aliquid Tibi.

28. K. *O Domine sancte, qui es Salus & Salvatio nostra!* Tu das nobis, quia amas nos plus, quàm res, quas nobis das; & nos
reci-

recipimus à Te dona , quæ amamus plus, quàm Te, qui ea nobis das : igitur Tu debes laudari & benedici in omni, quod nobis das , & nos debemus reprehendi in omni, quod recipimus à Te.

29. Tot sunt dona, *Domine*, quæ nobis dedisti, & quotidie das, & adeò sumus eis onerati, quòd vix possimus portare onus, quod super nos posuisti, à quo onere nemo potest alleviari, nisi memorando & laudando Te.

30. Adeò largus Dator es, *Domine*, & adeò libenter das, quòd multoties videatur nobis Te à nobis auferre, quando nobis das, & multoties nos cogas ad accipiendum contra nostram voluntatem : igitur omnes communiter simus laudatores tuæ benedictæ Largitatis, & servi tuæ gloriosæ Essentiæ divinæ.

CAPUT

QVOMODO NOSTER DOMINVS
IESVS *Christus fuerit largus de sua be-*
nedita Humanitate.

1. **O** *DEVS gloriose, perdurabilis, hu-*
milis, plene gratiâ! Tua magna
 Largitas, *Domine*, ametur & honoretur &
 laudetur omni tempore; quia de benedita
 Carne, quam assumpsisti, voluisti esse adeo
 largus, quod omni fami & paupertati &
 labori volueris eam tradere pro amore
 nostri.

2. De tota tua Carne & de toto tuo
 Sanguine fuisti largus, *Domine*, in die mor-
 tis; quia totum tuum Corpus fuit vulnera-
 tum & flagellatum, & totus tuus Sanguis
 fuit effusus, & omnes lacrymæ tuorum
 oculorum decurrerunt per tuam faciem, &
 totum tuum Corpus tradidisti Judæis, ut
 facerent in eo, quidquid vellent.

3. Tu, *Domine*, fuisti largus de tua
 Humanitate omnibus nobis; quia omnes
 dies

dies vitæ tuæ in hoc mundo usque ad mortem expendisti in nostram salutem & in nostram redemptionem, ut essemus beati in tua Gloria.

4. b. *O Domine digne honore ! O Domine digne servitio ! O Domine digne gratitudine !* Quidquid fecisti in hoc mundo à die, quâ es natus, usque ad diem, quâ es mortuus, fecisti intuitu rerum, quæ erant necessariæ nostro bono & nostræ saluationi.

5. Cum Tu, *Domine*, fueris adeò largus erga tuum populum, quòd totam tuam Carnem & totum tuum Sanguinem & totam tuam Vitam & omnia tua Opera & tuam Mortem volueris ei dare, ratio esset, quòd totus tuus populus daret ad laudandum Te id, quod dedisti ad salvandum ipsum.

6. Omnes principatus & divitias hujus mundi, & omnes delectationes dedisti, *Domine*, pro nobis in hoc, quòd in hoc mundo nolueris habere principatus nec regna, nec volueris habere delectationes, nec placita, nec alia bona temporalia,
imò

imò voluisti omnia relinquere pro amore nostri.

7. c. *Domine Ordinator & Ductor & Benefactor* ! Tu scis, quòd, quando homines dant, dent usque ad certum terminum, & ultra illum non velint dare, & hoc evenit, quia largitas vel potestas eis deficit : unde benedicta sit tua Largitas, cui nescitur terminus, quia ipsa & tua Potestas sunt finè fine.

8. Sicut tua Largitas, *Domine*, est finè termino & fine, ita vis, quòd homines sint Tibi adeò largi, quòd non ponant terminum nec finem suæ largitati, sed Tibi dent, quamdiu sufficiant & possint Tibi dare.

9. Sed, quia nos sumus cupidi & culpabiles & diffidentes in tua Largitate, ideo, *Domine*, ponimus terminum illis rebus, quas Tibi damus, & non volumus Tibi dare ultra illum terminum ; & totum hoc evenit nobis, quia habemus defectum amoris.

10. d. *Domine bone, Domine virtuose, Domine*

mine perfecte in omnibus temporibus! Sicut Tu fuisti nobis in hoc sæculo largus de tota tua Humanitate, ita es in Gloria largus beatis de tota ipsa, ut possint recipere gloriam & benedictionem in ea.

11. Nam, quia tua sancta Humanitas, *Domine*, est unita cum tua excellenti Deitate, ideo omnes beati, qui sunt in gloria, poterunt glorificari in ipsa.

12. Cùm Tu, *Domine DEVS*, de tota tua benedicta Humanitate fueris largus in hoc mundo, & de tota ipsa sis largus in altero sæculo, quis est, qui posset æstimare & perpendere magnam Liberalitatem & Largitatem, quæ est in Te?

13. c. *O Pater Patrum! O Prime primorum! O Domine Dominorum! O Vltime ultimorum! O Domine DEVS!* Tu es nobis largus de tua Carne in hoc, quòd eam nobis des, ut sit noster panis æternus, & es nobis largus de tuo Sanguine in hoc, quòd eum nobis des, ut sit aqua, de qua capiamus vitam; & nos sumus tuis pauperibus avari de pane & de aqua materialibus.

14. O

152 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

14. *O Domine magne, amorose! Cùm*
Tu sis adeò largus de tam pretiosa re, si-
cut est tua Caro & tuus Sanguis, & nos si-
mus adeò avari de tam misera re, sicut est
panis & aqua, quis est, qui Te posset lau-
dare secundum tuam magnam Largita-
tem? & quis est, qui nos posset reprehen-
dere secundum nostram magnam avari-
tiam?

15. Laudetur & benedicatur, *Domine*,
tua gloriosa Largitas, quæ fecit Te effun-
dere tuum Sanguinem supra petram, in
qua Crux fuit fixa, & benedictam Aquam
de tuo Corpore fecit decurrere super ter-
ram; & mea avaritia cognoscatur valde
magna, quia non effudi aquam ex meis
oculis super maxillas meæ faciei, & meus
sudor non est effusus in meas vestes per
bona opera.

16. f. *Nominate Domine ab omnibus ho-*
minibus, honorate ab omnibus creaturis! Ad
altitudinem & nobilitatem, in quam as-
cendit tua gloriosa Humanitas ratione
conjunctionis cum Deitate, non fuit un-
quam,

quam, nec est, nec erit ulla alia humanitas, quæ possit ascendere: igitur, cum Tu fueris totus largus de illa Humanitate, non est ulla res, quæ possit comparari tuæ magnæ Largitati.

17. Benedictam Humanitatem, quam Tu, *Domine*, dedisti pro amore nostri, non dedisti vacuam virtutibus, nec immundam, nec plenam peccatis, imò eam dedisti totam plenam virtutibus sinè ulla culpa & sinè ullo defectu; sed humanitas, quam nos Tibi damus, tota est misera & fragilis & deficiens virtutibus.

18. Si nos essemus largi Tibi, *Domine*, de nobilibus & bonis donis, non esset mirum; sed, quod est mirum super omnia mirabilia, est, quòd Tibi demus viliora & miseriora dona, quæ habemus.

19. g. *Domine invocande, Domine memorande, Domine metuende!* Tuam Humanitatem, quam nobis dedisti, libenter & voluntariè dedisti, & non dedisti eam coactè nec constrictè; quia, nisi voluisses, Judæi nullatenus potuissent Tibi ullum malum facere.

154 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
facere.

20. *JESV Christe Domine!* Ut Tu videreris perfectus in Largitate, voluisti dare tuum Corpus libenter & voluntariè, & voluisti illud dare cum fletibus & suspiriis & tribulationibus famis & sitis & vulnerum & mortis; & nos, quia sumus pleni cupiditate, fere omne, quod Tibi damus, damus Tibi coactè, & non damus Tibi nostrum corpus cum tot tribulationibus, cum quot nobis dedisti tuum.

21. Unde omnis ista cupiditas evenit nobis, *Domine*, quia non imus per primum motum nec per ordinatam intentionem; quoniam, si hoc faceremus, daremus Tibi omnia, quæ haberemus, & omnia possideremus.

22. h. *O Domine rogate! O Domine amare! O Domine volite!* Quando Tu dedisti tuum Corpus tuo populo, per amorem & non per timorem ipsum dedisti; & nos non volumus Tibi dare nostrum corpus nec per amorem nec per timorem.

23. Si Rex vel Princeps reputatur largus

gus inter suos Barones, *Domine*, quando eis dat de suo thesauro; quantò plùs debes Tu reputari largus, qui dedisti tuo populo Te ipsum?

24. Maxima Largitas, quæ possit esse, *Domine*, est, quando Dominus vult dare morti suum corpus ad restaurandum suum populum: igitur, ut Tu posses habere istam Largitatem adeò magnam, voluisti assumere Humanitatem, & eam morti tradere pro tuo populo.

25. i. *O Domine, confortatio & consolatio & restauratio nostra!* Benedictus sis Tu, qui dedisti tuam humanam Naturam ad redimendum tuum populum: „ unde, cùm „nobis tantum dederis, omnes tenemur ordinare & dirigere, quòd sint homines „euntes per omnes terras laudando & confitendo istam adeò magnam Largitatem „tuam.

26. Cùm multæ terræ & multa loca sint, *Domine*, in quibus non laudatur magna Largitas, quæ est in Te per hoc, quòd dederis Te ipsum morti pro tuo populo, valde

156 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

valde debemus verecundari, quando non
imus per omnes terras ad laudandum Te
de tua magna Largitate.

27. „Devotè & plorando petit à Te
„gratiam, *Domine*, tuus subditus, & Te
„precatur, ut seligas ex hominibus Reli-
„giosis aliquos, qui eant inter infideles ad
„laudandum Te de magna Largitate,
„quam habuisti erga tuum populum in
„hoc, quòd volueris mori pro amore
„nostri.

28. K. *Memorate Domine, gloriose, per-
durabilis omni tempore!* Maximum dam-
num & maxima jactura, quæ possit esse in
homine, est ignorantia tuæ Nobilitatis &
tuæ Largitatis; quia, qui ignorant Largi-
tatem, quam fecisti de tua benedicta Hu-
mani tate, nullam gloriam possunt conse-
qui, imò sunt torquendi perdurabilibus
pœnis.

29. Cùm pœna & damnum magnifi-
centur secundum quod est magna priva-
tio beatitudinis, Tibi, *Domine*, qui es
adeò largus, quòd tantum feceris pro ho-
minibus

minibus Religiosis, ut sint patientes & continentes & contemplativi, placeat eis dare perfectam voluntatem, ut eant ad demonstrandum infidelibus errorem, in quo sunt.

39. *O vere Domine* : Cùm infideles decurrant ad inferos sicut aqua decurrens per rupes, & iste decursus non cesset, placeat Tibi citò movere bonos homines ad eundem prædicare veram viam, ut iste decursus cesset per laudationem tuæ Largitatis humanæ & divinæ.

CAPUT LXXXII.

QVOMODO NOSTER DOMINVS
DEVS sit largus ratione magnorum donorum, quæ dat in Paradiso.

1. **O** *DEVS large omnibus benedictionibus & omnibus gloriis & omnibus virtutibus* ! Sanctitas & Gloria & Virtus sint tuæ magnæ Largitati, *Domine* ; quia, sicut oportet ipsam dare infinita dona in gloria,

158 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
gloria, ita oportet ipsam esse finè fine.

2. Cùm dona, quæ Tu, *Domine*, das in gloria, debeant esse perfecta finè ullo defectu, convenit Datorem esse perfectum finè ullo defectu.

3. Dona, quæ Tu, *Domine DEVS*, das in Paradiso, sunt nobiliora, quàm homines mereantur; quia sunt dona infinita, & homines, qui ea recipiunt, sunt finiti & terminati in suo *esse* & in operibus, quæ fecerunt.

4. b. *O Domine DEVS, qui dedisti principium creaturis, & ordinasti omne quod est!*
Adeò magna sunt dona, quæ das in gloria, quòd cor hominis non posset ea cogitare, nec ora possent ea narrare, nec oculi sufficerent ad videndum, nec aures ad audiendum quàm magna sint; quia omnia ista membra sunt res finitæ, & beata dona, quæ das, sunt finè ullo fine.

5. Minus donum, quòd Tu, *Domine*, das in gloria, est multò majus, quàm omnia dona, quæ dantur in hoc mundo: igitur, cùm Tu sis valde largus Dominus ratione

tionem donorum, quæ das in hoc mundo, quanto largior es ratione donorum, quæ das in gloria?

6. *Domine DEVS!* Omnibus modis, quibus demonstras in paradiso tuam Bonitatem & Nobilitatem, demonstratur tua Largitas; quia, in quantum videris & sciris bonus & nobilis, in tantum es largus beatis in gloria.

7. c. *Domine DEVS, qui defendis tuos servos ab omnibus malis!* Dona, quæ das hominibus in hoc mundo, non possunt ab eis recipi ita perfectè, sicut Tu ea illis das; & hoc est, quia homo non est dignus recipere donum perfectum in hoc mundo; sed in altero sæculo non erit ita, quia homo, qui erit in gloria, erit per gratiam adeò perfectus & completus, quòd poterit à Te recipere donum perfectum & completum.

8. Diversitas & divisio, quæ sunt in donis, quæ Tu, *Domine*, das in hoc mundo, totaliter eveniunt à fragilitate & miseria hominum: quia, sicut homines habent

bent multos & diversos defectus, ita necesse est Te eis dare multa & diversa dona, quibus se possint juvare in suis defectibus, sed in altero sæculo non est ita; nam, quia homines in paradiso non habebunt ullum defectum, sufficiet eis unum donum gratiæ, hoc est una gloria perfecta.

9. Cúm Tu, *Domine*, sis justus Dator, convenit Te in gloria aliis dare majorem gloriam, & aliis minorem; sed, quia es perfectus Dator, & convenit beatos in gloria à Te recipere perfectum donum, oportet, quòd omnes reputent donum, quod recipiunt, perfectum sinè ullo defectu, ut quilibet sit satisfactus de gloria, quam ei das.

10. d. *Singularis Domine, vere, amorose, fons & illuminatio omnis boni!* Sicut Tibi proprium est esse largum & liberalem & totum bonum; ita gloriæ, quam das justis in paradiso, est proprium esse eis naturalem; quia cuilibet naturalem facis gloriam & beatitudinem perpetuam, quamprimum sunt in paradiso ita, quòd naturale sit eis
per

per gratiam glorificari in Te.

11. Dona, quæ Tu, *Domine*, das in gloria, non sunt accidentalia, nec sunt dona, quæ sint in uno tempore & non in alio, nec sunt majora in una hora, quàm in alia; quia, si talia essent, non essent dona, quæ haberent perfectionem; & si non essent perfecta dona, sequeretur, quòd Tu non esses perfectus Dator.

12. Dona, quæ Tu, *Domine*, das in gloria, non descendunt, nec derivantur à re habente materiam & formam, sicut dona, quæ das in hoc mundo; imò omnia illa dona descendunt à Te, & omnia sunt in Te, quia Te totum das justis, ut glorificentur in Te.

13. c. *Ductor Domine, Adjutor orphanorum & tribulorum & omnium illorum, qui in Te confidunt* ! Sicut pluvix potant & satiant terras sitientes, ita tua dona in gloria satiabunt justos in hoc, quòd præsentia tuæ Humanitatis & tuæ Deitatis tenebit eos totaliter satiatos & plenos gloriâ.

14. *Gloriose Domine* ! Sicut bona terra,

L

quæ

quæ est bene temperata pluviis, profert flores, folia & fructus multis modis; ita beati paradisi, quando recipiunt in gloria dona à Te, profluunt dando dulces voces & dulces laudes de Te, & cantant dicendo: Gloria & Laus sit nostro Domino Deo semper.

15. *O Domine!* Quàm beati sunt illi, qui tua dona possident in gloria sinè fine, & quàm maledicti sunt illi, qui tuis donis sunt privati in altero sæculo sinè fine! Quia, cùm Tu sis adeò largus, satis possunt reputare se infelices omnes, qui in altero sæculo non sentiunt tuam magnam Largitatem.

16. f. *O Domine, fortis super omnes potestates! O Domine, magne super omnes magnitudines!* Adeò magna est tua Largitas, quòd, ut habeas occasionem dandi hominibus justis, ordinaveris, quòd ipsi eant in sua operatione per primum motum, & in hoc, quod faciunt, habeant rectam & veram intentionem.

17. Omnia bona, quæ voluisti creare,
Domine,

Domine, creasti ut ea dares, & non ut auferres: unde, cum Tu velis ea dare, tuus servus petit à Te gratiam, ut ex ipsis ei des.

18. Bona, quæ Tu, *Domine*, das in gloria, non peto à Te, ut mihi des per hoc, quòd ea merear, nec ut ea possideam, sed quia ea creasti ad dandum: unde, quoniam ea vis dare, precor Te, ut ex eis mihi des.

19. g. *Domine DEVS, qui custodis & defendis omnes illos, qui in Te confidunt*! Sicut Rex, qui est liberalis & fervidus in expendendo, facit aperire portas sui palatii, quoties comedit, ut intrent ad comedendum, qui velint comedere; ita Tu aperuisti tuas carnes & tuas pulpas, quando Te permisisti vul nerari; & totum hoc fecisti, ut portæ paradisi aperirentur, & in eas intrarent, qui vellent.

20. Tua benedicta Largitas, *Domine DEVS*, laudetur & honoretur; quia omnis homo intrans in paradysum intrat in eum ratione ipsius; & omnis homo intrans
in

in infernum intrat in eum ratione suæmet cupiditatis.

21. *O Domine !* Quot peccata & culpas remittit & condonat hominibus tua gloriosa Largitas, ut, quando transeunt ex hac vita in alteram, perveniant in tuam gloriam & in tuam benedictionem, in qua possideant tua benedicta dona?

22. h. *O Domine DEVS, qui remittis culpas & iniquitates & omnia peccata !* In paradiso non est, qui sit largus, nisi Tu; quoniam non est ibi, qui det, nisi Tu; quia nemo est dignus dare dona paradisi, nisi Tu; cum oporteat illa dona esse perfecta, & dona perfecta non possint dari, nisi à Te.

23. Unde, quia in paradiso, *Domine*, nemo dat, nisi Tu tantum, illi, qui dona recipiunt, recipiunt ea perfecta; &, si ab alio ea reciperent, non possent esse perfecta, quoniam, qui ea darent, non haberent omnem perfectionem.

24. Sicut dona, quæ Tu, *Domine*, das in gloria, nobilitantur & exaltantur per hoc,

hoc, quòd Tu ea des; ita beati, qui illa dona recipiunt, nobilitantur & exaltantur per hoc, quòd ea recipiant à Te.

25. i. *Domine DEVS, qui resuscitas mortuos, & judicas justos & peccatores ! Ut Tu posses ordinatè dare dona gloriæ, voluisti habere famem & sitim & tribulationem & mortem.*

26. *O Domine DEVS ! Quàm magnus defectus & magnus error fuit meus retro-acto tempore ? quia , dum me invitabas ad gloriam paradisi , ego eram Tibi molestus petendo à Te quotidie bona temporalia, quæ nihil valent.*

27. *O Domine DEVS ! Cùm in hoc mundo aliqua dona videantur magna & nobilia, quantò plús dona gloriæ videntur magna & nobilia in gloria ? Plús durat possessio donorum hujus mundi in illis, qui dona recipiunt , quàm gratiæ , quas agunt illis, qui ea dant; sed non est ita in paradiso, quia tantùm durant gratiæ, quas homo Tibi agit , quantùm possessio donorum, quæ das.*

28. K. *O Domine DEVS , qui sustines cælum*

cælum & terram & omnia creata & facta!
 Ratione tuæ magnæ Largitatis est conveniens Tibi invitare nos ad cœlestem gloriam, & eam nobis dare; & ratione meæ necessitatis est conveniens & necessarium mihi petere à Te dona gloriæ, & confidere in Te, ut ea mihi des.

29. Sicut est de tua proprietate & natura, *Domine*, dare bona gloriæ, ita est de mea proprietate & natura auferre à pauperibus in hoc mundo bona, quæ Tu eis das: unde, cum tua Natura, *Domine*, sit suprema Largitas & suprema Bonitas, & mea natura sit mala & fragilis, peto à Te gratiam, ut opereris in me secundum proprietatem tuæ naturæ, & non permittas me operari in pauperibus secundum proprietatem meæ malæ naturæ.

30. Animosè & devotè & lætanter Te adorât & laudat & benedicit tuus servus, *Domine DEVS*, & agit Tibi multas gratias, quia ei dedisti gratiam ad ducendum ad perfectionem istam Distinctionem, & confidit in tuo Adjutorio perficere omnes alias, quæ tractant de Nobilitate divina.

DISTINC. XVIII.

DE ADIVTORIO, QVOD NOS-
ter Dominus DEVS facit hominibus.

CAPUT LXXXIII.

QVOMODO NOSTER DOMINVS
DEVS adjuvet omnes illos, qui pro
ejus amore laborant.

I.
a.



*Iuine Domine! Gloria
& laus & benedictio
cognoscantur tuæ mag-
næ Bonitati, quæ ad-
juvat & succurrit om-
nibus, qui pro amore
Tui laborant in hoc*

saeculo, dando eis gratiam incedendi per
primum motum, in quo sunt victores om-
nium incedentium per secundum mo-
tum.

2. Omnes pro tuo amore laborantes
vis,

vis, *Domine*, juvare, ut babeant ordinatam intentionem in amando Te & serviendo Tibi; quia primâ intentione serviunt Tibi & amant Te, & secundâ sperant gloriari in tua Gloria.

3. Cûm Tu, *Domine*, adjuves beatos, qui pro amore Tui sustinent tormenta & labores, omnes, qui sunt eis contrarii, incedunt per secundum motum, & habent inordinatam intentionem, & ideo vincuntur; quia, qui incedit per primum motum & per ordinatam intentionem, convenit, quòd vadat per opera virtutum, & in eis stet.

4. b. *Ordinator Domine, Pater universorum, quæ sunt, abundans omnibus bonis!* Cûm scientia hominis sit terminata, & omnes vires ipsius sint intrâ certum terminum, quando homines, qui ad laudandum & honorandum Te & ad serviendum Tibi laborant & affliguntur, indigent sapientiâ & potestate & voluntate, quæ sit ultra terminum, in quo sunt terminati, Tu eos adjuvas, & eis succurris, & facis sapientiam & for-

fortitudinem & voluntatem ipsorum transcendere suos terminos.

5. Quando homines injuriosi, infideles, peccatores disputant & pugnant cum beatis, qui sanctam Fidem propugnant, ideo, *Domine*, vincuntur, quia non habent, qui suam scientiam & voluntatem & potestatem faciat transcendere terminum, in quo sunt terminatæ, cum non habeant adiutorium aliarum virium, quæ sint extra terminum ipsarum, sicut habent beati, quos adjuvas ultra terminum, in quo suæ vires sunt terminatæ.

6. Quia Tu, *Domine*, adjuvas illos, qui Te amant, & sunt in veritate, propterea superant illos, quos non adjuvas; nam, quando indigent majori sapientiâ & voluntate & potestate, quam habeant, Tu eis das tantam, quantâ indigent; & illi, qui sunt in falsitate, non possunt habere plus, quam natura eis det, quia non habent adiutorem, à quo eis veniat.

7. c. *Cælestis Domine, Creator & Redemptor noster* ! Illi, qui se tradunt morti amo-

re prædicandi tuam Nobilitatem & tuam Veritatem & tuam Passionem, inspirantur, quando indigent rationibus & probationibus; quia Tu eos illuminas, & dirigis in eo, quod dicunt, & in omni, quod faciunt, custodis eos ab errore.

8. Si hæretici & infideles, *Domine*, torquent beatos fideles fame & ignominiiis & laboribus & tormentis, Tu eos adjuvas patientiâ & rationibus & amore & devotione, & eos fortificas taliter, quòd sua anima non possit superari nec vinci.

9. Imò quæcunque tormenta, *Domine*, eis dentur, sunt eis placita & jucunda, & ea recipiunt in pace, & habent majus placitum in sustinendo ipsa, quàm si nihil sustinerent; & ita, quando maledicti, qui eos torquent, putant vincere, vincuntur.

10. d. *O vere DEVS juste, qui distinguis & separas bonos à malis, & ponis bonos in tua benedicta presentia!* Quando homines, qui pro Te laborant, incipiunt vinci ab illis, qui eos torquent, statim recurrunt ad tuum Adjutorium, & Tu, *Domine*,

con-

confortas eos, & facis eos contemnere omnia bona hujus mundi, & inamoras eos gloriâ alterius sæculi.

11. Beati sunt, *Domine*, omnes, qui quando superantur & vincuntur, statim recurrunt ad tuum Adjutorium; quia, quamprimum ad Te clamant, & à Te petunt Adjutorium, statim eis succurris, & eos adjuvas.

12. Mirabiliter, *Domine*, est valde magnum & gloriosum tuum Adjutorium, quia, in quocunque tempore homo illud petat, ei das; & in quocunque loco homo sit, invenit illud, quando illud à Te petit; & ex omnibus tribulationibus & angustiiis & periculis eripitur & liberatur per illud.

13. e. *Patiens Domine, amorosè, virtuosè, humilis, dulcis & suavis! Cùm tuum Adjutorium sitrefugium & spes beatorum, qui in eo confidunt, tuus servus & tuus subditus confidit in illo, & Te precatur, ut eum adjuves in isto Opere, quod est Ars & Modus laudandi & amandi & colendi & benedicendi*

172 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
cendi Te & serviendi Tibi.

14. *Sinè tuo Adjutorio, Domine, ego non possum hoc Opus & hanc Artem Contemplationis perducere ad perfectionem; imò, nisi me adjuves, peribo in eo ratione suæ altitudinis & magnitudinis, & ipsum peribit in me ratione meæ fragilitatis & miseriæ & meæ parvæ scientiæ.*

25. Unde, ne istud magnum Opus pereat in mea parvitate & miseria, placeat Tibi, *Domine*, me juvare; quia malum esset, si adeò benedictum Opus periret propter tam vilem hominem, sicut ego sum; &, quoniam ego tantum laboro in eo, placeat Tibi me juvare, ut remunerentur mei labores, & bene recipiatur mea bona intentio.

16. f. *O JESV Christe Domine, qui recreasti humanum genus tuo pretioso Sanguine! Cùm Tu sis adeò paratus ad adjuvandum fideles Christianos, qui pro amore Tui laborant, quomodo potest esse, quòd ullus Christianus habeat timorem prædicandi sanctam Fidem inter infideles propter*

ter minas tormentorum, quæ ei fiunt, quoniam Tu es ex sua parte?

17. Cum Tu, *Domine*, sis adiutorium beatorum, qui pro Te laborant, & Angeli & Sancti paradisi eos adjuvent, quare fideles Christiani timent infideles, qui non habent adiutorium nisi à dæmone tantum?

18. De magnis mirabilibus, quæ possint esse, *Domine*, est, quod homo Catholicus paveat in disputatione infidelem; quia sicut Tu errorem & falsitatem dæmonis ejecisti è tota Gloria, in qua nunquam erit, ita est Tibi facile confundere & destruere errorem & falsam opinionem infidelium veritate, quam posuisti in Catholicis.

19. g. *Domine fortis super omnes fortitudines, magne super omnes magnitudines!* Quare Christianus religiosus pavet infidelibus prædicare tuam Trinitatem & tuam Incarnationem & Passionem? & quare non confidit in tuo Adjutorio, quod non est procul ab eis, qui Te laudant & veritatem

præ-

174 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
prædicant?

20. Ratio, quare Christiani, *Domine*, dubitant prædicare veritatem tuæ Trinitatis & tuæ Incarnationis inter infideles, est, quia non perfectè confidunt in tuo Adjutorio & in tua Fortitudine, quæ potest adjuvare in omnibus modis laborum & tormentorum, qui possint esse.

21. Nam, si fideles, *Domine*, perfectè confiderent in tuo Adjutorio, nullas res dubitarent dicere de Te, quoniam intelligerent sua verba esse Tibi placentia & amabilia.

22. h. *O Domine DEVS, qui amas omnes, qui Te amant, & qui accedis ad omnes, qui ad Te accedunt!* Quando evenit, quòd beati fideles, qui ex omni sua mente & ex omnibus suis viribus & ex omni sua voluntate Te amant & honorant & Tibi serviunt, videant sibi deficere potestatem ad serviendum Tibi, confidunt in tuis viribus, quòd eos adjuvent in rebus, in quibus suæ vires non possunt sufficere.

23. Homines, qui non perfectè confidunt

fidunt in tuo Adjutorio, *Domine*, quando volunt facere pro amore Tui aliquam rem, si videant sibi deficere potestatem vel scientiam sufficientem ad complendum illam rem, statim desperant & desistunt & retrocedunt à suo proposito, quia non confidunt in alia scientia nec in alia potestate, nisi in sua.

24. Gloria & benedictio sint, *Domine*, omnibus illis, qui in tuo Adjutorio confidunt quotiescunque sua potestas eis deficit; nam, quia in Te confidunt, incipiunt multa bona facta, quæ adducunt ad perfectionem ratione tui Adjutorii: igitur maledicti, qui in tuo Adjutorio non confidunt, se possunt reputare multum infelices, quia multa bona facta dubitant incipere & multa incepta relinquunt, quæ venirent ad perfectionem, si in tuo Adjutorio confiderent.

25. i. *O Domine DEVS plene dulcedine & benedictione & placito!* Gloria & honor dentur Tibi semper & omni, quod tuum est; quia Tu nobis dedisti signum, in quo

quo nobis demonstras tuum Adjutorium, quod est figura sanctæ Crucis, in qua tua figura stat brachiis extensis ad demonstrandum Te esse paratum ad amplectendum & adjuvandum omnes, qui pro Te pugnant, & qui pro amore Tui moriuntur.

26. Nam, sicut Crux nobis demonstrat, quod Tu, *Domine*, nos adjuves & liberares à servitute dæmonis, in quam cecidimus in nostro patre Adamo, ita demonstrat tuum Adjutorium omnibus, qui ad Te honorandum & Tibi serviendum volent mori.

27. Nam illud adjutorium, quod tua Crux, *Domine*, nobis representat, & quod nobis fecisti, quando in ea es mortuus, nobis significatur per ipsam, quotiescunque pro amore Tui habeamus aliquam passionem vel laborem.

28. K. *Domine misericors, pie, voluntarie in omnibus bonis* ! Tu adjuvisti tuum populum tuo Sanguine & tuâ Carne & tuis Lacrymis, quando pro amore nostri fuisti

crucifixus & mortuus.

29. „Cúm Tu, *Domine DEVS*, taliter adjuveris tuum populum, quomodo potest esse, quòd Christiani similiter non adjuvent miseros infideles, qui per defectum adjutorii eunt in ignem perdurabilem?

30. Tuus captivus, *Domine*, filius tuæ ancillæ petit à Te gratiam ante tuum Altare, ut inamores homines adinvicem ad hoc, ut adinvicem nos juvemus ad possendum in tuo servitio habere Adjutorium à tua benedicta Essentia divina.

CAPUT LXXXIV.

QVOMODO NOSTER DOMINVS

DEVS adjuvet homines libenter facientes eleemosynam pro amore sui.

1. **O** *DEVS gloriose, potens, virtuosè!*
a. Gloria & honor fiant Tibi & omni, quod tuum est, quia adjuvas homines, qui pro tuo amore dant miseris & pauperibus,

M

ribus,

ribus, ut possint vivere de istis bonis temporalibus.

2. Bona, quæ habent divites, *Domine*, sunt adeò placentia ad possidendum, & adeò difficilia ad separandum à corde ipsorum, quòd, nisi Tu eos adjuvares, non possent de eis pauperibus dare, nec eis succurrere.

3. Sed, quia Tu, *Domine*, adjuvas homines divites, ut faciant eleemosynam, propterea dant pauperibus de suis divitiis, & eos hospitantur in suis domibus & de eis curant in infirmitatibus ipsorum.

4. b. *Domine large, Domine liber, Domine nobilis* ! Postquam excitasti hominem divitem ad faciendum eleemosynam de omni, quod habet, ita, quòd nihil ei remanserit, eum adjuvas ad habendum voluntatem plus dandi, si plus haberet.

5. Quando accidit, *Domine*, quòd homo, qui fecit eleemosynam pauperibus de omnibus suis bonis, inde devenerit in statum paupertatis, Tu eum adjuvas & ei succurris, & das sufficientiam panis & vini

vini & pannorum & omnium aliarum rerum.

6. Nam tunc ei das, *Domine*, fructus terræ, & modum & sapientiam, ut sciat congregare & perquirere divitias, quibus possit vivere & adjuvare pauperes.

7. c. *Humilis Domine, virtuose, patiens, pie!* Illi, qui pro amore Tui ædificant ecclesias, in quibus celebreris, & qui ædificant hospitalia, in quibus pauperes hospitentur, & qui faciunt pontes & aquæductus & complanant malas vias, ut pauperes possint per eas transire, quando evenit, quod sua potestas non possit sufficere, Tu das eis sufficientiam, & eos adjuvas, quousque sua opera veniant ad perfectionem, quam desiderant pro tuo amore.

8. *Amorose Domine!* Multi homines incipiunt ecclesiam vel pontem vel hospitale cum parva potestate, quia confidunt in tuo Adjutorio, & Tu eos adjuvas, ut, quando sua potestas deficit, tua sufficiat in tantum, quod veniat ad perfectionem omne, quod pro amore Tui incipiunt.

9. Tale Adjutorium, *Domine*, quale est tuum, debet laudari & amari & desiderari, quod omnibus rebus succurrit, & omnes res perficit, & omnibus, qui in eo confidunt, dat gloriam & benedictionem omni tempore.

10. d. *O Domine, qui liberas hominem ab angustiis & a laboribus, & eum perducis ad perdurabilem requiem ! Sicut homines, qui habent misericordiam erga pauperes, dant eis eleemosynas, & eos adjuvant, ut possint vivere in hoc sæculo, ita Tu adjuvas eos, qui faciunt eleemosynas, ut possint intrare in altero sæculo in veram vitam.*

11. Valde benedictum & gloriosum est, *Domine*, Adjutorium, quod Tu præbes hominibus, qui pro amore Tui adjuvant pauperes ; quia bonis temporalibus, quæ nihil valent respectu cœlestium, sciunt lucrari perdurabilem gloriam & benedictionem.

12. Beati sunt, *Domine*, omnes, qui faciunt eleemosynam de suis bonis pro amore Tui, qui eam faciunt per hoc, quòd

Tu

Tu eos adjuves; & qui à Te habet Adjutorium, potest se reputare valde felicem, sed multò beatiore sunt, qui infidelibus faciunt eleemosynam de se ipsis, & sunt Martyres ratione prædicationis veræ viæ; quia isti recipiunt à Te majus Adjutorium.

13. e. *Domine DEVS, qui custodis & defendis fideles Christianos à via erroris, & errantes dirigis in viam veritatis!* Quando homines divites faciunt eleemosynas de rebus, quibus non indigent, & quæ eis superfluunt ad mensam, non est sua eleemosyna adeò magna, sicut ipsi putant.

14. Sed, quando homines, *Domine*, faciunt eleemosynas de rebus, quæ sunt eis necessariae, & quæ eis causant tantam indigentiam, quòd inde patiantur famem & sitim & nuditatem & frigus, tunc suæ eleemosynæ sunt magnæ, & Tibi placent, quoties eas dent.

15. Nam, qui dat id, quo indiget, *Domine*, certum est, quòd idem daret, si non indigeret; & qui dat id, quo non indiget,

diger, non est certum, quòd daret, si indigeret: quare homines divites non faciunt magnas eleemosynas, quoties putant eas facere, quoniam per eas non sentiunt ullum laborem: igitur multò majores sunt eleemosynæ pauperum, quia per eas sentiunt indigentiam.

16. f. *O Pater cælestis, vere, juste!* Infirmi-
tatem & gravem mortem, in quam humanum genus cecidit per peccatum Adami, voluisti, *Domine*, adjuvare eleemosynâ, quam nobis fecisti de tua benedicta Humanitate, quando pro amore restorationis tui populi voluisti sustinere graves labores & angustiosam passionem.

17. Cùm Adjutorium, quod Tu, *Domine*, fecisti humano generi in tempore necessitatis, fuerit tuo populo adeò necessarium, in hoc maledicti divites, qui in tempore caritatis congregant divitias, & eas non distribuunt pauperibus, non sunt Tibi similes; quia Tu voluisti effundere tuum Sanguinem, ut tuus populus haberet perdurabilem vitam.

18. Illi sunt beati, *Domine*, qui in tempore caritatis aperiunt sua granaria & suas arcas & suas portas, & invitant pauperes in suas domos; quia plus confidunt in tua gratia, quàm in divitiis hujus mundi.

19. g. Placidè & devotè & verâ intentione debet omnis homo lætari in Te, *Domine DEVS*, qui das majorem vim & virtutem uni eleemosynæ, quàm alteri; quia plus prodest pauperi, si det parvum frustum panis cum devotione & contritione alteri pauperi, quàm diviti, si det pauperi panem & vinum & carnem vanâ gloriâ & falsâ intentione.

20. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*; quia virtus eleemosynæ non desumitur à quantitate, sed à bona intentione, propter quam homo eam dat: unde illi, qui dant magnas eleemosynas, si velint, quòd suæ eleemosynæ sibi proficiant, dent eas libenter & verâ intentione, ut illis, qui eas recipiunt, proficiant, & qui eas dant, eas non perdant.

21. Et, qui non habent potestatem dandi

dandi magnas eleemosynas, *Domine*, si velint magnificare suam eleemosynam, & facere eam sibi proficuum, magnificent ipsam verâ intentione, & dent eam cum lacrymis & devotione & contritione; quia talibus operibus crescit & multiplicatur eleemosyna.

21. h. Libenter & devotè, *Domine DEVS*, & sufficientiâ fletuum & lacrymarum debemus Tibi omnes agere gratias pro magno Adjutorio, quod nobis das ad faciendum eleemosynas, quas facimus; &, sicut ego sum per naturam avarus, & nescio seligere eleemosynas, quæ pauperibus sunt meliores ad recipiendum & mihi ad dandum, ita precor Te, ut me adjuves ad eligendum eleemosynas, quas debeo dare.

23. Etiam peto à Te gratiam, *Domine*, ut me adjuves ad seligendum pauperes, quibus est melius dare eleemosynas; quia multò melius est dare illi, qui Tibi agit gratias pro eleemosyna, quæ ei datur, quam illi, qui nec Tibi nec danti eleemosynam agit gratias.

24. Tuus

24. Tuus servus, *Domine DEVS*, & tuus benevolus Te precatur & petit, ut eum adjuves ad obliviscendum omnes eleemosynas, quas fecit tempore præterito, ne inde habeat vanam gloriam, & Te precatur, ut eum facias percipere & intelligere eleemosynas, quas debet facere in tempore præsentis & in futuro.

25. i. *Domine DEVS*, qui grãtãnter acceptas quidquid homo dat pauperibus pro tuo amore! Tu adjuvas & succurris, ut habeant gloriam & beatitudinem omnes, qui pro amore Tui faciunt eleemosynam; quia ipsa est proficua pauperibus in hoc, quòd se cum ea adjuvent in hoc mundo; & est proficua danti eam in hoc, quòd sua anima per ipsam dirigatur ad eundem in cœlestem gloriam.

26. Omnes illi sunt maledicti, *Domine*, qui res, quas pauperes ab eis petunt pro tuo amore, amant plùs, quàm Dominum, propter quem illæ res petuntur.

27. Unde, quia illi plùs amant divitias,

tias, quæ ab eis petuntur, quàm Te, *Domine*, qui illas eis dedisti; propterea remanent pauperes mortui præ fame & siti & frigore, & foris stant ante portam divitum ad pluviam & ventum & solem, & non inveniunt, qui eis aperiat, & in domum eos introducat; & si pauperes sint importuni in petendo eleemosynam, statim fiunt eis minæ & repelluntur & inhonorantur.

28. K. *Domine pie, Domine misericors, Domine sapiens!* Perversus dives in tempore caritatis plùs confidit in adjutorio horrei frumenti, quàm in tuo: est igitur mirum simile huic, quòd homo plùs confidat in tam misera re, quàm in Te, qui es Dominus tot rerum, & qui es adeò nobilis per tot res?

29. Maledicti sunt, *Domine*, qui in tempore caritatis non dant pauperibus de suis divitiis, quia faciunt pauperes desperare de divitiis, quas eis reposui ti pro tempore necessitatis.

30. Humiliter & devotè peto à Te gratiam,

Vo. I. Li. II. Di. XVIII. Cap. LXXXV. 187
gratiam, *Domine DEVS*, ut, antequam
ego faciam desperare pauperes de divitiis,
quas mihi commisisti ad custodiendum
pro pauperibus, eas recipias & committas
alteri, qui eas pauperibus distribuat; & pla-
ceat Tibi, quòd ego sim unus illorum pau-
perum, qui, quando non inveniunt, qui
eis det, semper confidunt in Adjutorio
sui Domini DEI.

CAPUT LXXXV.

QVOMODO NOSTER DOMINVS
DEVS adjuvet homines justos à suis
mortalibus inimicis.

1. **O** *DEVS* magne, fortis, Principium
a. *& Finis omnium rerum, quæ fuerunt*
& sunt & erunt! Tu, Domine, es refugium
omnibus illis, qui à suis inimicis injustè
& malè tractantur; quia à nulla alia re ni-
si à Te possunt habere adjutorium.

2. Quando fideles Christiani, *Domine*,
pugnant pro exaltatione sanctæ Fidei

Ro-

Romanæ, Tu non derelinquis nec deferis eos; quoniam pro amore Tui pugnant, imò eos adjuvas taliter, quòd hæretici & infideles vincatur & superentur.

3. Nam beati sunt vestiti & muniti patientiâ & legalitate & amore & veritate; & propterea, *Domine*, sua verba, quando sanctam Fidem prædicant, scindunt & frangunt & destruunt omnia, quæ veritati sunt contraria.

4. b. *Domine alte super omnes exaltationes, Domine nobilis super omnes nobilitates!* In pugna multoties evenit, quòd per unum bonum equitem lucretur & vincatur plús, quàm per omnes alios: igitur beati, qui pro amore Tui pugnant, non timeant suos inimicos; quia Tu solus, qui es cum eis, potes eos adjuvare taliter, quòd semper sint victores.

5. Sicut navis vel magnum lignum, *Domine*, quando trahitur ab hominibus, oportet, quòd omnes homines trahentes insimul concordent suas vires, quia aliter non possent ipsum trahere; ita si vires illorum,
qui

qui pro Te disputant & pro Te pugnant, concordent & convenient cum tuis, semper vincent; si autem non ita sit, non adjuvabuntur à Te, & dum non habeant tuum Adjutorium, semper vincentur.

6. Non est ullus leo quantumcunque ferox & iratus, quem decem homines non vincerent & occiderent, si bene se invicem adjuvarent: igitur, cum Tu, Domine, adjuves beatum Christianum, qui pro Te disputat ante suos inimicos, quomodo potest pavere minas & iram, quam videt in discredentibus, dum cogitat Te esse ex sua parte?

7. c. *Virtuose Domine super omnem virtutem, amorose, plene omni benedictione!* Mei inimici sunt mei quinque sensus corporales, qui nocte & die me oppugnant & me vincunt: unde, cum sim victus & superatus ab eis, peto à Te gratiam, ne me deseras, imò me adjuves taliter, quod me non vincant, sed à me vincantur.

8. *Domine DEVS!* Inimici, quò propinquiore sunt homini, eò sunt ei damnosiores:

nosiores: igitur, cum divitiæ, quas possidemus, sint nostri mortales inimici, & nobis sint valde propinquæ, placeat Tibi nos amovere ab eis, & nos juvare taliter, quod non amemus eas in nostro corde, ut nostrum cor sit procul à suis mortalibus inimicis.

9. Inimici, in quibus homo confidit, & quos amat, *Domine*, possunt plus ei nocere & facilius eum decipere, quam illi, in quibus non confidit & quos odit: igitur, cum nostri inimici sint nostri filii & nostræ uxores, & nos confidamus in eis, & eos valde amemus, peto à Te gratiam, ut nos defendas ab eis taliter, quod non vincant, nec decipiant nos.

10. d. *Domine large, à quo desumitur omnis virtus!* Te adoro & laudo & benedico ex omnibus meis viribus, & reprehendo illos, qui sunt in via veritatis & justitiæ, si timeant vinci & superari ab euntibus extra veram viam, & ab operantibus injustè & sine ratione: unde, qui tales homines timent, quomodo non cogi-

tant

tant Te posse eos delere vel occidere vel infirmare vel dirigere in viam veritatis? In veritate omnis iste timor venit & descendit à defectu confidentiæ in tuo Adjutorio.

11. Est ne in toto mundo, *Domine*, adeò magnum mirum, sicut istud, quòd homo plùs timeat suum inimicum, quàm confidat in tua Bonitate & Virtute & in tuo Adjutorio? quomodo non cogitat Tibi esse magis possibile eum adjuvare ratione confidentiæ, quam habeat in Te, quàm sit possibile suo inimico nocere ei?

12. Valde possunt reputari miseri, *Domine*, omnes, qui plùs pavent iram suorum inimicorum, quàm confidant in tua bona Voluntate & in tua Justitia; quia multò plùs deberet homo confidere in Potestate, quæ nunquam potest vinci, quàm in potestate, quæ quotidie superatur; & multò plùs deberet roborari propter Dominum, qui semper est verus & justus, quàm debilitari propter inimicum injuriosum, qui aliquando cognoscit suas injurias

192 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
rias & suos defectus.

13. c. *O Domine fortis super omnes fortitudines! O Domine dulcis super omnes dulcedines!* Quando fidelis Christianus stat coram infideli, qui ei minatur amputare caput, nisi abneget sanctam Fidem, si contingat, quòd timor accedat ad eum, statim debet cogitare sibi esse propinquius tuum Adjutorium, quàm pœna, quam infidelis ei minatur, & Te plùs velle eum juvare, quàm suus inimicus ei possit nocere.

14. Qui non habent istum modum, *Domine*, & timent à malis hominibus, ne eos occidant, & non confidunt in tuo Adjutorio, ideo timent, quia plùs amant possidere vitam in hoc mundo, quàm esse laudatores tuæ Nobilitatis & præcones magnæ pœnæ, quam sustinuisti pro tuo populo.

15. Cùm ego, *Domine*, habuerim majorem timorem à meis inimicis, quàm diligentiam dandi laudem de tuo Nomine & de tua sancta Passione, imposterum volo relinquere timorem & modum, quem sole-

bam

bam tenere, & confidendo in tuo Adjutorio volo ire ad dandum laudem de tua sancta Trinitate & de tua sancta Incarnatione, & adeò confidam in tuo Adjutorio, quòd nullus homo, quantumcunque mihi sit inimicus, me possit detinere.

16. f. *Patiens Domine, liber, amorose!*
Cùm eques, qui pugnat, confidat in sua munitione & in suo equo & in fortitudine sua & suorum sociorum, beati, qui pro amore Tui pugnant in via martyrii, bene debent confidere in tuo Adjutorio & in tua Fortitudine.

17. Nam arma, quæ homo habet in campo, franguntur & debilitantur, & equus cadit & vulneratur, & quidam socii fugiunt ab aliis; sed Tu, *Domine*, non corrumperis, nec fugis, nec vinceris.

18. Quando ego pugnabo cum inimicis Fidei, si ipsi putent me vincere suis viribus & suis verbis & suis armis, ego, *Domine*, intendam & credam eos vincere tuo Adjutorio & tuâ benedictione.

19. g. *O DEVS magne, mirabilis, qui*
N Te

Te humiliasti in nostra Domina sancta MARIA, quando Te incarnasti in ea ! Si meis inimicis est proprium esse malos & crudeles & ingratos & mihi contrarios, Tibi, Domine, est proprium amare & succurrere & adjuvare omnes illos, qui pro amore Tui tribulantur : igitur quare debeo timere à meis inimicis ?

20. Si mei inimici sunt potentes me cogere & à me auferre bona temporalia, Tu, Domine, es potens ipsa mihi reddere, & mihi dare meliora, quotiescunque Tibi placeat.

21. Si mei inimici possunt me occidere, & à me auferre corpus in hoc mundo, Tu, Domine, es adeò potens, quòd ipsum mihi possis reddere in die iudicii multò melius & pulchrius, quàm nunc sit: quare igitur timebo perdere id, quod Tu mihi potes reddere ?

22. h. *JESU Christe Domine, qui natus es de nostra Domina sancta MARIA ! Major inimicus, quem ego habeo in hoc mundo, sum ego ipse, qui sum mihi met*

mor-

mortalis inimicus: igitur, cum hoc ita sit, quòcunque vadam, eo & sum cum meo mortali inimico.

23. Ratio, quare ego, *Domine*, sum inimicus mei ipsius, est, quia me inclino ad eundem per secundum motum, qui occidit & destruit & debilitat omnes illos, qui per eum vadunt.

24. Nisi Tu, *Domine*, me adjuves à me ipso taliter, quòd non sim inimicus mei ipsius, vincar & superabor à mea malignitate & à mea fragilitate, & tanquam homo derelictus peribo in perdurabilibus laboribus.

25. i. *Domine laudate canticis & orationibus dulcedinis, amoris & placiti!* Benedictus sis & benedicta sit tua Gloria; quia valde bonum est, quòd adjuves tuos amicos, ut vincant tuos inimicos; sed, si Tu adjuvares me, qui jam sum victus, istud esset magnum Adjutorium; quoniam majori adjutorio indiget homo victus, quàm qui non est victus.

26. Ego, *Domine*, non sum dignus adjuvari

juvari à Te, sed tuum Adjutorium est mihi valde necessarium: unde, cùm ego non sim dignus adjuvari à Te, non audeo Te precari, ut me adjuves quantum ad respectum meæ dignitatis; sed quia non possum effugere ignem perdurabilem sinè tuo Adjutorio, ideo non possum me continere à petendo ipsum.

27. *O Domine DEVS!* Ego sum de illis, qui jam sunt victi & superati à suis mortalibus inimicis: quapropter sic victus & malè tractatus ab eis recurro ad tuum Adjutorium, & peto ipsum à Te memorando tuam Misericordiam.

28. *K. O Domine amate, memorate, qui non habes in oblivione tuos benevolos!* Fideles Christiani, qui vincunt peccata per tuum Adjutorium, adeò adjuvantur à tua gratia, quòd nullos inimicos quantumcunque malos timeant; nam, quoniam sunt sinè peccato, non timent, ne domus cadat super ipsos, nec timent minas nec ullum laborem nec ullam mortem.

29. Illi, qui sunt sinè peccato, *Domine,*
quare

quare timebunt à suis inimicis, quoniam omnia mala, quæ possint eis fieri, sunt ad gloriam & exaltationem suarum animarum? imò debent desiderare sustinere afflictiones & labores & angustias & dolores & mortem pro tuo amore.

30. Magnam rationem habent, *Domine*, qui sunt in tua Custodia & in tuo Adjutorio, quòcunque eant & ubicunque sint, eundi & essendi cum lætitia & jucunditate & devotione & audacia, & non mœrendi nec timendi propter minas & labores, dummodo eos sustineant per gratiam & Adjutorium sui Domini DEI.

CAPUT LXXXVI.

**QVOMODO NOSTER DOMINVS
DEVS** *adjuvet omnes illos, qui faciunt
pœnitentiam.*

1. **D** *EV*S gloriose, virtuose, pie, amoro-
se! Per tuum Adjutorium faci-
unt peccatores pœnitentiam; quia sinè
ipso

ipso nullus peccator posset exire à peccato, nec posset facere poenitentiam.

2. Nam, quia homo, *Domine*, per se ipsum est res defectuosa, quæ venit à privatione, postquam cecidit in peccatum, & vadit per secundum motum, ideo non habet naturam nec proprietatem de se, per quam exeat à peccato; quoniam suum peccatum & suus defectus sunt de natura ipsius accidentaliter ratione privationis, à qua devènit.

3. Unde, cùm homo per se non possit exire à peccato, *Tu, Domine*, per gratiam eum adjuvas, ut exeat, & poeniteat eum peccatorum, quæ fecit; quod Adjutorium ei das ponendo eum in libero arbitrio, quo possit exire à peccato.

4. b. *Grate Domine, amorose, dulcis & simplex & suavis!* Laus & gloria & benedictio dentur tuo Adjutorio, quod hominibus poenitentiam agentibus dat gratiam eundi per primum motum, qui est talis naturæ & proprietatis, quòd omnes, qui per ipsum eunt, eant per bona opera & per vias planas

planas & veras & securas.

5. Ratione Adjutorii, quod Tu, *Domine*, das beatis Confessoribus, ut eant per primum motum, ipsi faciunt jejunia & eleemosynas & orationes, & habent contritionem & poenitudinem suorum peccatorum.

6. Sicut à secundo motu descendunt omnia vitia in homine, ita, *Domine*, per tuum Adjutorium à primo motu veniunt & descendunt in ipso omnes benedictiones & virtutes.

7. c. *Domine vere DEVS, à quo descendunt & veniunt omnes gratia & omnes virtutes!* Sicut terræ est naturale descendere, & non ascendere ratione suæ ponderositatis, ita est proprium homini peccare & errare, quia ex parte sui ipsius est totus plenus defectibus & fragilitatibus & miseriis.

8. Sed, sicut est proprium & naturale igni & aeri tendere sursum ratione suæ levitatis, & elevare aquam & terram, in quibus sunt compositi in atomis; ita, *Domine*,

tuo

tuo Adjutorio est proprium erigere peccatores à peccatis, & eos elevare ad poenitentiam, ad quam non possent ascendere sine ipso.

9. Omnes facientes poenitentiam debent latanter & devotè laudare, *Domine*, tuum Adjutorium, quia in eis mortificat potentiam sensitivam, & facit venire in ipsorum corda poenitudoines & amores & devotiones, & in ora orationes & cantica laudum, & in oculos lacrymas & ploratus.

10. d. *Rex Regum, Domine terra & oceanorum*: Non est consuetudo latronis dare nec reddere, nec hominis luxuriosi servare castitatem, nec est consuetudo hominis superbi humilitas, nec hominis falsi legalitas, nec hominis gulosi continentia.

11. Unde, cum de omnibus istis vitiis eleves, *Domine*, hominem ad poenitentiam, nemo est, qui poenitentiam agat per operationem nec per naturam sui ipsius, sed solum ratione tui Adjutorii, quod hominem appropinquat virtutibus, & elongat à vitiis.

12. Unde

12. Unde benedictum sit, *Domine DEVS*, tuum Adjutorium, quod facit latronem restituere res, quas furatus est, & facit esse castitatem in homine, qui fuit luxuriosus, & facit esse legalem illum, qui erat plenus falsitate, & continentem illum, qui erat plenus gulâ.

13. e. O *Domine DEVS*, qui adjuvas tuos populos à demonibus, qui sunt sui mortales inimici! Sicut calor & frigus sunt qualitates, quæ sibi invicem contrariantur in natura & proprietate, ita homo, qui fuit peccator, quando facit poenitentiam, contrariatur suæmet naturæ, & ista ipsi.

14. Cùm ego, *Domine*, videam tot homines religiosos & tot sæculares facere poenitentiam, quos vidi facere multa peccata, habeo valde magnam rationem laudandi tuum Adjutorium, quod adjuvat tot homines ad faciendum poenitentiam.

15. Tuus subditus & tuus captivus, *Domine DEVS*, Te adorât & Te laudat & benedicit ante tuum benedictum Altare vero & devoto corde, & oculis plenis ploratibus

ratibus & lacrymis, & confidit in tuo Adjutorio, quòd eum adjuvet, sicut adjuvat alios peccatores ad faciendum pœnitentiam.

16. f. *Æterne Domine, qui per viam martyrii demonstraſti veram viam fidelibus Chriſtianis!* Si peccatores non compleant in hoc mundo ſuam pœnitentiam, in purgatorio eam complent per confortationem & gratiam tui Adjutorii, quod eos ſuſtinet, ut poſſint eam complere.

17. Nam finè tuo Adjutorio, *Domine*, nullus homo in purgatorio poſſet facere pœnitentiam ratione gravium laborum & dolorum & ignis infernalis, qui eos ſtatim deleret; ſed tuum Adjutorium eos taliter ſuſtinet, quòd non poſſint deleri à laboribus & tormentis, quæ ſufferunt.

18. Cùm Tu, *Domine*, repræſentes peccatoribus, qui in purgatorio faciunt pœnitentiam, gloriam paradifi, & pœnas, in quibus ſunt, habituras eſſe finem, & poſt ipſum eos eſſe ituros ad poſſidendum gloriam finè fine, iſta repræſentatio eſt eis
adeò

adeò magna confortatio, quòd fere tota sua poena sit levis ad sufferendum.

19. g. *O Domine alte ! O Domine large ! O Domine honorate !* Maxima pressura, quam ego unquam sensi, fuit, quando me mutavi de peccato ad poenitentiam.

20. Adeò grave est, *Domine*, homini peccatori exire à peccato, & facere poenitentiam, quòd nunquam, nisi me adjuvares, in meo corde haberem contritionem nec poenitudinem meorum peccatorum, nec in meo ore essent confessiones nec orationes nec jejunia, nec in meis oculis ploratus & lacrymæ.

21. Sicut homo existens in gravibus tormentis indiget adjutorio sui boni Domini & suorum benevolorum, ita, *Domine*, tuus subditus indiget tuo Adjutorio & tuo succursu, ut possit facere poenitentiam de suis gravibus peccatis & de suis magnis defectibus.

22. h. *Perdurabilis Domine, Remissor culpæ & injuriarum omnium illorum, qui à Te petunt remissionem !* Mea natura est
adeò

adeò contraria pœnitentiæ, quòd per me ipsum non possim eam vincere, nec inducere ad faciendum pœnitentiam; quare peto à Te gratiam, ut me adjuves ad vincendum & cogendum me ipsum, ut in hoc sæculo possim facere pœnitentiam de magnis defectibus, quos feci contra Te.

23. Totum Adjutorium, quod ego à Te peto, *Domine DEVS*, est, ut me benedicas & gratifies, & adeò me inamores de Te, quòd amem Te plùs, quàm me, & ullam aliam rem.

24. Quando Tu, *Domine*, mihi des complementum amoris, statim ero paratus ad faciendum pœnitentiam; quia statim meum cor incipiet Te perfectè amare, & pœnitere suorum defectuum, & statim dabit meo ori veram confessionem, & ipsum implebit tuis laudibus, & statim implebit meos oculos ploratibus & lacrymis, & meæ manus dabunt pauperibus eleemosynas, quas tanto tempore eis denegavi.

25. i. *O Domine DEVS, qui custodis & defendis omnes nos!* Quia ego peccavi omnibus

nibus modis peccatorum, nisi me adjuves ad faciendum pœnitentiam tot modis, quot peccavi, omnia mea membra in altero sæculo torquebuntur omnibus modis tormentorum.

26. *Domine gloriose* ! Si ego peccavi omnibus modis, est mihi necesse, quòd omnibus modis, quibus homo possit facere pœnitentiam, eam faciam; quia ad omnes modos pœnitentiæ me obligavi, quando omnibus modis peccavi.

27. Cùm ego, *Domine*, sim adeò fragilis & misera res, quòd sinè tuo Adjutorio nullatenus possem facere ullam pœnitentiam, & sim obligatus ad faciendum pœnitentiam de tot peccatis, quis posset æstimare, quantopere mihi sit necessarium tuum Adjutorium ad faciendum pœnitentiam ?

28. K, *Domine potens, vigor ose, Pater & Domine universorum, quæ sunt* ! Maledicti sunt omnes, qui in fine suorum dierum sperant facere pœnitentiam; quia longitudo usus & senectus & infirmitas sunt eis

con-

contrariæ ad faciendum poenitentiam; & beati sunt omnes, qui in sua juventute incipiunt facere poenitentiam, & in ea perseverant usque ad diem mortis.

29. Peccatores, qui nolunt facere poenitentiam in hoc mundo, quia desperant eam posse sufferre, ideo desperant, *Domine*, quia non confidunt in tuo Adjutorio; quoniam, si in eo confiderent, nullam poenitentiam perhorrescerent.

30. Vigorosè & ferventer conatur tuus servus, *Domine DEVS*, agere Tibi gratias propter Adjutorium, quod ei fecisti adducendum ad perfectionem istam Distinctionem; & confidit in Te, quòd eum adjuves in omnibus aliis Distinctionibus taliter, quòd sint ad gloriam & laudem Tui, qui es suus Dominus & suus DEUS.

DISTINCT. XIX.

DE HUMILITATE, QUÆ EST
in nostro Domino DEO.

CAPUT LXXXVII.

QUOMODO NOSTER DOMINVS
DEVS se humiliaverit, quando as-
sumpsit humanam carnem.



DEVS excellens, alte
super omnes altitudines,
nobilis super omnes nobi-
litates! Propter mag-
nam abundantiam hu-
militatis, quæ est in Te,

placuit Tibi, Domine, assumere humanam
carnem in benedicta Virgine gloriosa nos-
tra Domina sancta MARIA.

2. Domine DEVS! Cùm Tu sis
aeternus & infinitus & habeas perfectio-
nem Potestatis & Sapientiæ, & sis per-
fectus

fectus & completus in omnibus Virtutibus,
& volueris Te conjungere & unire cum
humana essentia, quæ habet principium
& finem, quis posset æstimare istam adeò
magnam Humilitatem?

3. Tu, *Domine*, voluisti habere istam
adeò magnam Humilitatem, ut dirigeres
tuum populum ad viam benedictionis &
gloriæ, & ut ipsum extraheres à gravi erro-
re, in quo erat.

4. b. *Fortis Domine super omnes fortitu-
dines, potens super omnes potestates* ! Laude-
tur & benedicatur tua sancta Humilitas,
cujus magnitudinem & bonitatem nullus
homo posset æstimare, quia Tibi placuit
Creatorem se unire creaturæ, & rem æter-
nam rei habenti principium.

5. Quando placuit tuæ divinæ Essen-
tiæ, *Domine*, quæ est res adeò virtuosa &
nobilis & mirabilis, se conjungere cum
humana essentia, quæ ex parte sui ipsius est
res pauper & misera, ista Humilitas fuit
adeò magna, quòd nec cogitatio nec ima-
ginatio nec ratio nec intellectus possit

ad eam pertingere & sufficere.

6. Quia tua divina Substantia est conjuncta cum natura hominis, revelatur & demonstratur, *Domine*, tua magna Humilitas; nam, nisi esset facta conjunctio Deitatis & Humanitatis, tua humanitas non posset ita revelari & demonstrari tuo populo.

7. c. Tibi, *Domine DEVS*, qui Te humiliasti erga nos, sit laus & benedictio & cultus & servitium; quia per hoc, quòd Te humiliaveris ad assumendum Carnem ratione nostrarum necessitatum & non ratione alicujus rei, quâ indigeres, demonstratur tua Humilitas esse major.

8. Quando Tu, *Domine DEVS*, Te humiliasti ad assumendum Carnem, Te humiliasti ut elevares & exaltares humanam naturam, & ut in illa elevatione & exaltatione cognosceretur tua magna Humilitas & tua magna Bonitas: unde, quamvis Te humiliares, tamen non fuit debilitata nec destructa tua magna Bonitas nec tua magna Honorificentia.

O

9. Quot-

9. Quotquot homines sunt, *Domine*, debent se multum roborare ad honorandum & laudandum tuam gloriosam Essentiam divinam, quæ per Humilitatem voluit se conjungere cum humana natura, & à terra eam elevare ad altitudines cœlorum.

10. d. *JESU Christe Domine, liber, abundans omnibus bonis!* Nulla creatura est, quæ posset ascendere & pertingere ad gradum tuæ Humilitatis, quia ipsa est in adeo alto gradu, quod nec intellectus nec mens nec operatio nec ulla alia res posset ullo modo ad ipsum pertingere.

11. Ratio quare nemo posset pertinere ad tuam Humilitatem, est, *Domine*, quia nulla potest esse ei similis; cum oporteat esse supremam Humilitatem illam, quâ, qui est in altiori magnitudine & nobilitate, se vult conjungere cum homine, qui est hîc inferius inter res infimas.

12. Cum tua Deitas, *Domine*, non assumpserit carnem nisi in una individua humanitate tantum, tua Humilitas est singularis sinè pari & æquali & simili, & nunquam

quam fuit, nec est, nec erit ulla humilitas, quæ sit comparabilis cum ipsa.

13. e. *Liberalis Domine!* Tuæ sanctæ Humilitati sit laus & gloria & benedictio; quia, sicut ipsa est magna & mirabilis per hoc, quòd voluerit de supremis bonis & altitudinibus Te descendere in hunc mundum ad assumendum Carnem; ita magnitudo superbiæ, quæ est in nobis, vult nos elevare ad nobilitates & ad altitudines & ad honores ad nos non pertinentes.

14. Quotidie videmus, *Domine*, quòd homo, qui est vilis officii & vilis loci, per superbiam velit accedere in cognatione ad hominem melioris generis & officii, quia opifex vult dare suum filium vel suam filiam mercatori & mercator burgenfi & burgenfis equiti & eques comiti & comes Regi, & sic superbia de gradu in gradum vult extollere honorificentiam hominum ultra terminum, intra quem debent honorari.

15. Unde benedicta sit tua sancta Humilitas, *Domine DEVS*, quæ non est simi-

lis superbiæ hominum; quia, sicut homines per superbiam volunt ascendere de imis locis ad superiora, ita Humilitas fecit Te descendere de cœlo in terram, & fecit Te assumere Carnem in paupere Fœmina.

16. f. *O Domine DEVS, qui es Lumen omnium luminum & Splendor omnium splendorum!* Tua magna Humilitas est exemplum & demonstratio humilitatis omnibus magnis Dominis & altis Baronibus, ut sumant exemplum humilitatis in Te, & se humiliant erga pauperes & miseros homines.

17. *Cùm Tu, Domine, sis adeò altus & potens & nobilis Dominus, & Te adeò humiliaveris pro amore nostri, quis est ille Rex vel Imperator quantumcunque honoratus, qui sit excusatus ab humiliando se pauperibus hominibus pro amore Tui?*

18. *Benedicta sit, Domine DEVS, tua gloriosa Humilitas, quæ est scala humilibus hominibus, ut per ipsam ascendant ad coelestem gloriam & ad perdurabilem benedictionem; & benedicta sit ipsa, quæ est*

est scala superbis, ut descendant ad perdurabiles pœnas & ad infinitos labores.

19. g. *O Pater omnium temporum, recursus & restauratio omnium nostrum!* Omnes laudemus & benedicamus tuam magnam Humilitatem, *Domine*, quæ facit homines divites humiliare se ad preces pauperum, & preces & necessitates pauperum elevat ad præsentiam nobilium.

20. Unde, cum homines pauperes indigeant divitibus, ut recipiant eleemosynas ab ipsis, benedicta sit, *Domine*, tua Humilitas, quæ humiliat divites pauperibus; &, cum divites indigeant pauperibus, ut ipsis possint dare eleemosynas, laudetur tua Humilitas, quæ pauperes præsentat divitibus, ut in eis lucrentur meritum gloriæ.

21. Dulcedo & amor & devotio faciunt me, *Domine*, esse laudatorem tuæ Humilitatis, quæ recreavit humanum genus, & aperuit viam & semitam perdurabilis beatitudinis.

22. h. *Misericors Domine, plene Pietate & Gratiâ!* Si nobilis Imperator vult audire

214. *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

re & auscultare pauperem hominem in suis necessitatibus, & vult cum eo habere familiaritatem, magna est sua humilitas; sed multò major est, si ipse relinquat suum regnum & suum imperium pro tuo amore, & velit se humiliare in ordine paupertatis.

23. Unde, cùm Tu, *Domine*, qui es Imperator & Rex omnium Imperatorum & omnium Regum & omnium Principum, Te volueris conjungere & associare nostræ humanæ naturæ, & volueris ipsam humiliare ad omnem paupertatem & ad omnem laborem pro amore nostri, quis est, qui posset imaginari magnitudinem tuæ Humilitatis? & quomodo posset ulla humilitas transcendere tuam?

24. Homines sunt, qui uno tempore sunt humiles & alio superbi; sed non est ita, *Domine*, de Te; quia, sicut tua Deitas & tua Humanitas æternaliter sinè omni fine erunt in unione, ita eris humilis æternaliter sinè omni fine.

25. i. *O Domine potens, Victor & Coactor*

omnium

omnium rerum ! Si homines , qui sunt pleni
superbiâ , imaginarentur & memorarent
tuam magnam Humilitatem, non haberent
tantam superbiam, quantam habent.

26. Cùm humilitas sit nobilis Virtus,
& superbia careat omni virtute , & homi-
nes ascendant per humilitatem & descen-
dant per superbiam, levius est, *Domine*, per
humilitatem descendere ad res imas, quàm
ascendere per superbiam ad altas.

27. Unde propterea , *Domine* , es in
majori Humilitate, quia descendisti ad as-
sumendum Carnem, quàm dæmones sint
in gradu superbiæ , quia voluerunt ascen-
dere ad tuas honorationes: igitur benedic-
tus sis, *Domine*; quia valde conveniens est
Te habere majorem Humilitatem , quàm
dæmones & superbi homines habeant su-
perbiam.

28. K. *Rex Regum, Domine Dominorum,*
amabilis super omnes amores ! Sicut homo
intellectualiter intelligit formam, quando
ipsam sumit in generali , & non intelligit
ipsam in materia ; ita, nisi Tu assumpsisses
humanam

humanam carnem, solum intelligeremus in universali tuam Humilitatem; &, sicut forma magis demonstratur, quando intelligitur in materia, quam quando intelligitur sine materia; ita manifestius intelligimus tuam Humilitatem, quia intelligimus, quod assumpseris humanam carnem.

29. Unde, ut nobis melius demonstraretur tua Humilitas, ideo voluisti, *Domine*, assumere Carnem, quando Tibi placuit de excellentibus altitudinibus Te humiliare ad inferiores partes.

30. *Domine DEVS*! Cum ego sim res pauper & misera & terrena & corrupta per peccatum, sum in tam imo gradu, quod nulla res sit inferior me; quare non possum me humiliare ad rem, quæ sit sub me: igitur, ut possim esse humilis, rogo Te, ut me eleves in tantum, quod me possim humiliare ad res, quæ remanebunt infra me, & per humilitatem possim pervenire ad præsentiam Tui, qui es meus Dominus & meus DEUS.

CAPUT LXXXVIII.

QVOMODO NOSTER DOMINVS

JESVS Christus fuerit humilis in hoc mundo in omnibus suis operibus.

1. **O** JESV Christe Domine gloriose,
a. *amoroſe, abundans omnibus bonis!*

Tuæ ſanctæ Humilitati ſit gloria & honor ſemper, quæ in tua Nativitate Te adeò humiliavit, quòd in viliori loco & hospitio Te fecerit naſci; quia valde magna Humilitas fuit in hoc, quòd natus fueris in ſtabulo, quod inhabitabant beſtiæ, & nolueris naſci in camera habitata ab hominibus.

2. Ut tua Humilitas, Domine, nobis meliùs demonſtraretur, voluiſti in tua Nativitate non eſſe multas ſceminas, quæ adjuvarent beatam Virginem glorioſam, & noſtram Dominam non habere multos pannos, quibus Te involveret; & totum hoc voluiſti, ut per defectum adjutorii ſceminarum & pannorum totus nudus ponereris in terra.

3. Tua

3. Tua Nativitas, *Domine*, fuit adeò plena magnâ Humilitate, quòd totum Te tradideris humilitati; & in die, quâ es natus, ita parum voluisti demonstrare tuam Potestatem & tuam Sapientiam, sicut si nullam haberes; & hoc fecisti, ut tua Humilitas videretur major.

4. b. *Domine liber, liberalis in omnibus bonis!* Quia per paupertatem accedit homo plûs ad humilitatem, quàm per divitias, ideo voluisti in hoc mundo eligere paupertatem; & voluisti esse pauper, ut Humilitas meliùs demonstraretur in Te.

5. Cùm sit naturale humilitati, quòd homo humilis plûs amet societatem & familiaritatem humilium & pauperum hominum, quàm divitum & superborum; ideo voluisti, *Domine*, esse in societate & familiaritate pauperum & humilium hominum.

6. Quia homines, qui in hoc mundo sunt pauperes, & ignominiis & tormentis premuntur à divitibus, sunt per naturam humilitatis depauperati & contempti; propterea

terea voluisti, *Domine*, ut Humilitas esset perfectè in Te, esse pauper, & contemni, illudi & torqueri; & noluisti esse de divitibus hominibus, qui per superbiam, quæ est in ipsis, vilipendunt & affligunt pauperes.

7. c. *Vere Domine, amorose, honorate super omnes honores!* Quando eras in hac præsentī vita, si voluisses, potuisses facere multa miracula, quæ non fecisti; quia tot miracula potuisses facere, quousque omnes homines, qui erant in mundo, potuisses convertere; sed, quia amasti ordinem paupertatis ratione Humilitatis, ideo noluisti facere tot miracula, quot potuisses facere.

8. Tu, *Domine*, non prædicasti in synagogis, secundum quod potuisses prædicare, & hoc fecisti, quia multitudo miraculorum & sermonum plus significat honorem & nobilitatem, quàm Humilitatem: unde, ut magnum signum Humilitatis videretur in Te, noluisti facere miracula nec prædicare gentibus, secundum quod potuisses,

110 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
isses, si voluisses.

9. *Gloriose Domine !* Cum in talibus rebus volueris demonstrare tuam Humilitatem, in omnibus rebus debes intelligi esse humilis Dominus plenus omni dulcedine & pietate & gratiâ.

10. d. *O Domine virtuose, juste, fortis super omnes fortitudines !* Tua Humilitas in tuo statu se demonstravit, quando in hoc mundo vixisti ; quia in tua vita non fuit nisi Humilitas ita, quod in omni, quod dicebas & faciebas, Te demonstrabas humilem & plenum patientiâ.

11. In quibuscunque modis intellectus hominis possit cogitare & æstimare humilitatem, voluisti eam habere, *Domine*, quando fuisti in hoc mundo ; & adhuc multò plùs humilitatis habuisti, quàm intellectus hominis possit percipere.

12. Quis est, *Domine*, qui posset æstimare omnes laudes & honorationes, quas potuisses habere in hoc mundo, si voluisses ? unde, quot honorationes & laudes reliquisti, quas noluisti habere in hoc mundo,

tot

tot sunt tuæ humiliationes.

13. e. *Placide Domine, humilis, dulcis, simplex & suavis* ! Adeò plenus fuisti magnâ Humilitate in die tuæ sanctæ Passionis, quòd omnes tuos quinque sensus corporales volueris tradere angustiis & laboribus, & omnes ipsos volueris tradere in manus tuorum inimicorum, qui Te totum exco-riaverunt & vulneraverunt & malè tractaverunt.

14. Humilitas, *Domine*, Te fecit genuflectere ante tuos Apostolos, & Te fecit lavare illorum pedes, & tergere linteo, quo præcinctus eras: unde, cum Tu esses Dominus, Humilitas Te faciebat stare in similitudinem vassalli & subditi.

15. *IESV Christe Domine* ! Humilitas Te fecit humiliari ad moriendum in meliori tempore & meliori ætate, in qua homo possit vivere in hoc mundo: igitur, cum tot modis fueris humilis, quis est adeò humilis & patiens sicut Tu?

16. f. *IESV Christe Domine* ! Laudetur & benedicatur tua sancta Humilitas, quæ
Te

Te fecit in hoc sæculo ire peditem & fecit ire tuos pedes discalceatos per vias montanas & lapidosas & spinosas.

17. Humilitas, *Domine*, Te fecit equitare in asina, quæ est vilior bestia, in qua homo possit equitare: unde, sicut per Humilitatem voluisti equitare in asina, ita homines superbi non volunt equitare nisi in pulchris equis & pulchrè ornatis.

18. Sicut Tu, *Domine*, propter Humilitatem noluisti equitare, nisi in asina nuda, ita superbi nolunt equitare nisi in equis ornatis pulchris sellis & frenis & pectoralibus deauratis & deargentatis.

19. g. *O DEVS, Domine magne, intra cujus Magnitudinem sunt comprehensæ omnes aliæ magnitudines!* Quando Te humiliabas in hoc mundo hominibus superbis, non Te humiliabas, quia eos timeres, sed quia eos multum amabas.

20. Melior Humilitas, quam homo possit habere, est, *Domine*, quando se humiliat ex amore, & peior est, quando se humiliat ex timore; quapropter humilitati

quæ

quæ venit ex timore, non debetur gratitudo.

21. Si homo pauper & miser se humiliet homini diviti, ut ei det de suis divitiis, non est humilitas, quæ sit appetianda; sed, quando Tu, *Domine*, qui es adeò nobilis & dives & honoratus, Te voluisti humiliare hominibus pauperibus, ut eos ditares tuâ gloriâ, ista fuit Humilitas, quæ est valde amanda & appetianda.

22. h. *Domine DEVS, qui restauras & salvas tuos amicos à potestate demonis!* Si volentibus se humiliare pauperibus pro tuo amore sua natura repugnet ad habendum humilitatem, melius consilium, quod possint accipere, est memorare tuam Humilitatem; quia, si Tu, qui es DEUS & Dominus, Te humiliasti tuo populo, bene potest omnis homo, quantumcunque dives & honoratus sit, se humiliare suo proximo sibi pari.

23. Memorando & cogitando tuam magnam Humilitatem potest omnis homo, *Domine*, vincere suam naturam & suum
su-

224. *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
superbum cor, & potest se humiliare ad
omne id, quod velit.

24. Valde magnam rationem & cau-
sam habeo, *Domine*, laudandi tuam bene-
dictam Humilitatem, quia nunquam potui
in me destruere superbiam, nec potui me
humiliare, quousque memoravi tuam mag-
nam Humilitatem; &, quamprimùm eam
concepi in mea memoria per tuam gratiam
& benedictionem, statim *feci* de me, quid-
quid volui.

25. i. *Iuste Domine, vere in omnibus fac-
tis & in omnibus verbis!* Qui bene vult
imaginari & percipere tuam Humilitatem,
attendat ad opera, quæ faciunt homines
superbi; quia per contrarium illorum ope-
rum poterit cognoscere, quàm magna sit
tua Humilitas.

26. Sunt homines, qui dant in se ip-
sis similitudinem humilitatis, quia non ha-
bent scientiam nec potestatem, quâ sciunt
esse superbi, nec sciunt habere aspectum
hominis superbi: unde talis humilitas nihil
valet; sed, cùm Tu, *Domine*, sis plenus
omni

omni sapientiâ, & habeas tantam potestatem, sis adeò humilis, tua Humilitas est bona.

27. *Domine DEVS!* Sicut superbia facit hominem esse iracundum & rusticum & malè morigeratum, ita Humilitas Te fecit esse hominem dulcem & simplicem & suavem & bene morigeratum, quando eras in mundo inter homines.

28. K. *O Domine JESV Christe, qui mereris omnem gloriam & omnem laudem & omnem honorationem!* Non est mirum, si homo vilis culpabilis se humiliet ante suum bonum dominum, ut ei parcat; sed, cum Tu, qui es Dominus, & non fecisti ullum defectum, Te volueris humiliare, hoc est magna & mirabilis Humilitas.

29. *Domine DEVS!* In magno timore & tremore stat tuus servus & tuus subditus; quia, sicut omnia tua opera eunt per Humilitatem, ita omnia mala opera, quæ quondam feci, iverunt per vias superbiæ.

30. Omnes homines superbi veniant,

Domine, se humiliare ante formam sanctæ Crucis, quæ repræsentat formam tuæ gloriosæ Humilitatis; & omnes demus humiles voces & humilia cantica & humiles laudes de Te, qui es noster Dominus DEUS.

CAPUT LXXXIX.

QVOMODO NOSTER DOMINVS
JESVS Christus fuerit humilis in omnibus suis verbis.

1. **J**ESV *Christe Domine* ! Sanctitas & a. Gloria & Virtus & Benedictio sint Tibi ratione tuæ magnæ Humilitatis; quia omnia, quæ cogitabas in tuo corde, & omnia verba, quæ dicebas, erant in Humilitate & plena Humilitate.

2. Sicut de bona arbore nascitur bonus fructus; ita, *Domine*, de tuo benedicto Corde nascebantur in tuo ore verba dulcia & humilia & amorosa, quia procedebant ex Corde pleno amore & dulcedine.

3. Quando

3. Quando fuisti in hoc mundo, *Domine*, semper fuerunt omnia tua verba plena Humilitate, & fuerunt tota pulchra & vera & recta, & nulla instructio nec ulla affabilitas defuit eis.

4. b. *Æterne Domine Pater cælestis*! Adeò fuerunt tua benedicta Verba humilia & amorosa, quòd nulla alia debeat homo desiderare ad auscultandum & audiendum & memorandum nisi ipsa.

5. Si homo surdus, qui inhonoratur & blasphematur, non habet inurbana & superba verba contra illos, qui eum inhonorant & blasphemant, non est mirum; sed, cum Tu, *Domine*, scires cogitationes judæorum, qui Te inhonorabant & blasphemabant, & audires ipforum verba, & tamen tua verba essent urbana, in hoc demonstratur Humilitas tuorum verborum.

6. Judæi non adeò inhonorabant nec vilipendebant nec irridebant nec torquebant Te, *Domine*, quòd unquam de tuo ore exirent verba superba & inordinata & inurbana; & per nullas res, quas judæi Tibi

potuerint facere & dicere, tua verba unquam exierunt à regula veritatis & Humilitatis.

7. c. *Amabilis Domine, plene Misericordiâ & Pietate!* Adeò fuerunt tua benedicta verba plena Misericordiâ & Humilitate & Veritate & omni Sanctitate, quòd omnes homines superbi possint ex eis sumere exemplum ad deferendum sua verba inurbana & superba, & ad se sociandum verbis humilibus cum pauperibus.

8. Tuum Os, *Domine*, fuit in adeò magna Humilitate, quòd nunquam in eo potuerit nominari ullum verbum inurbanum nec injuriosum nec mendax nec immundum nec turpe, imò omnia tua verba fuerunt in omnibus pulchris dictionibus & in omnibus bonis educationibus.

9. Cùm omnia tua verba, *Domine*, fuerint adeò humilia & pia & amorosa, valde indecens mihi est, quòd mea verba fuerint adeò superba & præcipitata & turpia & inurbana; & totum hoc mihi evenit à magna superbia, quæ erat in meo corde.

corde.

10. d. *Domine magne, Domine alte, Domine mirabilis!* Quando non sufficit hominibus superbis potestas ad faciendum opera superba, eis sufficiunt verba superba & inurbana: unde benedictus sis, nam non est ita de Te; quoniam, sicut habes Potestatem ad faciendum omnia, ita tua verba sufficiunt ad omnem Humilitatem & ad omnem urbanitatem.

11. *JE SV Christe Domine!* Sicut homines superbi se jactant de magna potestate & de magna honoratione dicendo verba elata & superba, ita per contrarium, dum eras inter nos, demonstrabas gentibus tuam magnam Potestatem esse parvam in hoc, quòd Te permittebas torqueri & occidi, & demonstrabas tua verba adeò humilia, sicut si fecisses aliquem defectum, quem nunquam fecisti.

12. Per humilia opera & per humilia verba, quæ homo habet erga superbos, domat in eis malam voluntatem & superbiam; & Tu, *Domine*, nunquam demonstraſti judais

dæis opera adeò simplicia & amorosa, nec dixisti eis adeò humilia & pia verba, quòd domarentur & mitigarentur ab ira, quam habebant contra Te.

13. e. *O Domine DEVS, qui es adeò magnus & nobilis, quòd omnia comprehenduntur intra Te, & Tu non comprehendaris ab ullo!* Naturale est homini superbo omnes suas cogitationes & omnia sua verba esse superba, & naturale est de superbis cogitationibus & verbis exire vitia & culpas, & propterea Tibi placuit, *Domine*, omnia tua verba esse humilia & similiter omnes tuas cogitationes, ut ex eis exirent opera fructuosa & virtuosa.

14. Superba verba deviant homines à via Veritatis, & ducunt eos in viam erroris, & inurbana & superba verba faciunt de homine bene morato & humili rusticum & superbum: ideo voluisti, *Domine*, habere humilia & dulcia & pia verba, ut homines superbos & malè moratos adduceres ad regulam Suavitatis & Humilitatis & Veritatis.

15. Si superbia acuit linguas hominum ad dicendum verba superba & plena fraude & falsitate, Humilitas, *Domine*, implevit totum tuum os Veritate & humilibus & dulcibus & suavibus verbis.

16. f. *Domine large, Domine suavis, Domine pie, Domine sapiens* ! Nos non audemus dicere verba inurbana hominibus superbis, quia inde sequeretur nobis damnum : igitur, cum judæis, qui Te torquebant, non diceres ullum verbum inurbanum nec superbum, imò omnia tua verba essent simplicia & humilia, quare Te torquebant & malè tractabant propter humilia & amorosa verba ?

17. Cum verba debeant laudari & honorari, *Domine*, quando sunt vera & humilia & erudita, & quando sunt superba & inurbana & mendacia, debeant contemni & vilipendi, quare non honorabantur & laudabantur tua verba in die Passionis, quoniam erant humilia & vera ? & quare inurbana verba judæorum non reprehendebantur, quoniam erant turpia & sinè omni

ni Veritate?

18. Sicut Rex vel Princeps vel altus Baro, *Domine*, loquitur suo vasallo superbe, & significat in suis verbis se esse Dominum; ita per contrarium Tu loquebaris cum judæis, & dicebas verba humilia & amorosa, & non loquebaris ad modum Domini, sed vasalli.

19. g. *O Domine vere, juste Judex in omnibus, quæ judicas!* Si Tu voluisses habere tua verba humilia ratione aliquarum tuarum necessitatum, ipsa non fuissent adeo humilia; sed, quia voluisti habere verba humilia ratione nostrarum necessitatum, in hoc demonstrantur tua verba humiliora.

20. Si vasallus se humiliet ante suum Dominum propter suas necessitates, & ei dicat verba humilia & devota, ut eum moveat ad pietatem, non est mirum, *Domine*; sed, quod est valde mirum, est, quod Tu, qui es cœlestis Dominus, Te volueris humiliare tuis vasallis propter nostras necessitates.

21. Sicut tua benedicta verba, *Domine*, fuerunt sapientiora & subtiliora & virtuosiora, quàm alia, ita fuit conveniens, quòd essent humiliora & amorosiora & pleniora pietate.

22. h. *Suavis Domine, Remissor amorose*: Aliqui homines sunt, qui uno tempore loquantur humiliter, & alio superbè: unde benedictus sis, quia non est ita de Te; quoniam tua verba semper fuerunt humilia & dulcia & suavia sinè ullo intermedio.

23. Ratio, quare tua Verba, *Domine*, semper fuerunt dulcia & humilia & simplicia, est, quia Veritas nunquam discessit à tuo ore, & à tuo corde nunquam recessit ordinata intentio: & ratio, quare nos quandoque loquimur superbè, quandoque humiliter, est, quia veritas non semper stat in nostro ore, nec ordinata intentio in nostro corde.

24. Unde, cùm per veritatem & per bonam intentionem dicantur verba humilia & pia, *Domine*, per privationem veritatis & bonæ intentionis dicuntur verba mala

mala & superba & impia.

25. i. *Benedicte Domine, qui es Primus omnium principiorum & ultimus omnium finium* ! Sicut tua verba fuerunt benedicta & humilia omnibus modis, quibus verba possunt esse humilia & amorosa ; ita per contrarium omnia mea verba fuerunt superba omnibus modis, quibus verba possunt esse elata & superba.

26. *Gloriose Domine* ! Mihi videtur omnibus modis mea verba fuisse contraria tuis ; quia omnia tua verba fuerunt humilia, & omnia mea fuerunt superba ; & omnia tua fuerunt, ut nos haberemus salvationem, & omnia mea fuerunt, ut ego laudarer & beneficiarer istis bonis temporalibus.

27. Sicut tua verba, *Domine*, fuerunt humilia per hoc, quòd Tu ea diceres & loquereris ratione nostrarum necessitatum ; ita mea verba fuerunt superba per hoc, quòd ego ea dicerem, & non loquerer, nisi de mea nobilitate & laude.

28. K. *Gloriose Rex Gloria, sapiens super omnem*

omnem sapientiam, plene benedictione & gratiâ ! Adeò magna est, Domine, Humilitas tuorum verborum, quòd omnia verba, quæcunque sunt humilia in hominibus religiosis & iustis, sumant formam & materiam ab Humilitate tuorum Verborum.

29. Unde, quicumque reprehendit humilia verba hominum religiosorum, est, *Domine*, contra humilitatem tuorum verborum, & propterea oportet esse inconsiderata & superba omnia verba, quæ sint contraria humilibus verbis hominum, qui sumunt formam in suo loqui à tuis verbis.

30. Omnes demus laudem & gloriam & benedictionem de tuis humilibus verbis, *Domine*, & omnes capiamus formam & materiam ex humilitate ipsorum, ut nostra verba sint simplicia & humilia quotiescunque loquemur & dabimus laudem de nostro Domino DEO.

CAPUT

QVOMODO NOSTER DOMINVS
JESVS *Christus fuerit humilis in sua*
sancta Passione.

1. **O** *JESV* *Christe*, *Pater & Domine*
a. *universorum, quæ sunt* ! *Benedictus*
sis Tu & quidquid tuum est ; quia valde
magnam Humilitatem habuisti, quando
Tibi placuit Te humiliare ad moriendum;
quoniam, cum mors sit contraria vitæ, &
quantum ad Deitatem, sis perdurabilis Vi-
ta, valde magna fuit tua Humilitas, quan-
do Humanitatem unitam cum Deitate vo-
luisti inclinare ad mortem.
2. Cum judæi, qui Te occiderunt,
Domine, essent homines viles & miseri &
injuriosi, tua Passio & tua Mors fuit val-
de humilior per hoc, quod ab ipsis Te per-
miseris torqueri & occidi.
3. *Domine DEVS* ! Sicut Tu fuisti
humilis in vita, ita voluisti esse humilis in
morte, ut nos sumeremus exemplum Hu-
militatis

militatis à tua vita & morte & ut essemus humiles in vita & in morte.

4. b. *Domine, cui servitium, Domine, cui amor, Domine, cui honor debetur!* Ut tua Mors esset plena Humilitate voluisti in ea non esse multos homines plorantes & plangentes, nec in ea esse multos homines, qui propter Te scinderent sua vestimenta & suas facies, & evellerent suos capillos, nec qui propter tuam mortem induerentur nigris vestibus.

5. In tua sancta Passione, *Domine*, fuerunt multi homines irrisores, qui eam irridebant, & in tua Morte fuerunt multi homines, qui lætabantur de omnibus tuis laboribus, & totum hoc fuit ut tua Mors esset humilior.

6. In tua Passione, *Domine*, non fuerunt homines, qui tuum benedictum Corpus lavarent, & qui illud involverent pannis ex auro & serico, nec fuerunt, qui illud thurificarent, nec qui faces & cereos incenderent, nec fuit, qui congregaret primates, qui Tibi facerent honorem ad sepul-

pulturam, nec fuerunt Clerici, qui Tibi facerent processionem: quomodo igitur tua Mors posset esse humilior & vilior & ignominiosior?

7. c. *Singularis Domine sine pari & socio!* Latronem video, quando ducitur ad supplicium, duci equitando; & quando Tu fuisti ductus ad crucifigendum, non fuit, qui Tibi daret bestiam, in qua equitares, imò fecerunt Te ire peditem, & portare crucem ad similitudinem bajuli.

8. Ad mortem fuisti, *Domine*, ductus in abjectiorem & viliorem locum, qui potuit inveniri; quia ubi suspendebantur & torquebantur latrones, fuisti occisus, & in medio duorum latronum fuisti suspensus, & à tuis discipulis fuisti negatus & derelictus, & tanquam bestia mortua projecta in sterquilinum fuisti ejectus, &, nisi fuisset Joseph ab Arimathia, non fuisset, qui Te sepelisset.

9. Quis est, qui posset æstimare, *Domine*, tuam magnam Humilitatem & magnam superbiam, quæ est in nobis? nam in

nostra

nostra morte facimus oppositum illius, quod fecisti in tua; quoniam magnâ copiâ facum & cereorum volumus sepeliri, & magnâ processione Clericorum & hominum nos sequentium volumus deferri ad sepulturam, & multos clamores & ploratus & planctus volumus ibi esse, & cadaver cooperiri volumus pannis deauratis, & homines honoratos ipsum portare & sepelire: igitur quæ superbia, *Domine*, posset esse major illâ, quam habemus in morte?

10. d. *Excellent Rex Gloriæ! Sanctitas & Benedictio & Virtus sint tuæ Humilitati*, quæ Te fecit mori viliori morte, quâ unquam ullus homo mortuus sit: unde benedicta sit tua Humilitas, *Domine*; quia, sicut Adam peccavit in paradiso terrestri per superbiam comedendo melius pomum, quod erat in eo, ita Humilitas Te fecit mori in hoc mundo viliori & ignominiosiori morte, quæ unquam fuerit.

11. Sicut ventus ducit folia arboris ad quamcunque partem vult, ita, *Domine*, tua Humilitas fuit adeò magna in tua Mor-
te,

te, quòd Te permiseris duci à judæis ad quascunque pœnas & tormenta, quibus Te voluerunt torquere & occidere.

12. Cùm vilior mors, quæ possit esse, sit, quando homo occidit suum dominum terrenum proditoriè sinè ulla causa; & cùm Tu, *Domine*, sis adeò nobilis & honoratus Dominus, & falsi judæi Te occiderint & prodiderint injustè, quis est, qui sit mortuus tam vili & inhonoratâ morte, sicut Tu?

13. c. *Gloriose Domine, amate super omnes amores, desiderate super omnia desideria!* Si Rex vel Princeps moritur in prælio, & moriuntur cum eo multi suorum equitum, & occidunt multos suorum inimicorum, non est mors ignominiosa, imò est mors honorata; sed in tua Morte nullus tuorum Apostolorum nec ullus tuorum Discipulorum est mortuus, nec ullus eorum, qui Te occiderunt, fuit occisus: igitur, cùm Tu solus fueris occisus, per hoc tua Mors demonstratur magis ignominiosa & humilis,

14. *JESU Christe Domine* ! Cùm Tu sis mortuus pro amore nostri viliori morte, quâ homo possit mori, habemus rationem moriendi pro amore Tui, & maximè, cùm mori pro Te, sit gloriosior & honoratior mors, quâ homo possit mori.

15. *Amorose Domine, plene Virtute & Gratiâ* ! Quantò humilior fuit tua Passio, tantò fuit virtuosior & fructuosior : „igi-
„tur, cùm mea peccata me fecerint adeò
„vilem, non sum dignus mori adeò dignâ
„morte, sicut est mors Martyris.

16. f. *O splendor omnium splendorum ! O Domine Directio omnium directionum* ! Cùm humilitas inclinaverit tuum benedictum corpus ad moriendum, ut nos haberemus vitam ; peto à Te gratiam, *Domine*, ut Misericordia Te faciat humiliare ad audiendum preces tui servi ; & quamvis sim peccator, tamen non desinas exaudire meas orationes ; quia, si ego sum peccator, Tu es Remissor.

17. Omnes demus laudem & gloriam & honorem tuæ benedictæ Humilitati, Do-

Q

mine,

mine, quæ in tua sancta Passione Te fecit sustinere flagella & colaphos & jactus lapidum & vulnera & ignominias & mortem, ut ipsa videretur in tua morte, sicut fuerat visa in tua vita.

18. Homines hujus mundi non sunt Tibi similes, *Domine*, in Humilitate; quia, sicut sunt superbi in sua vita, ita sunt superbi in sua morte in hoc, quod honoratè velint sepeliri.

19. g. *Domine sapiens*, *Domine magne*, *Domine large*! Sicut arbor, quæ est onerata fructibus, se inclinat versùs terram ratione magni ponderis fructuum, qui sunt in ea, ita ratione magnæ abundantiae Humilitatis, quæ est in Te, tuum Corpus fuit adeò humiliatum, quod post mortem fuerit positum sub terra.

20. Superbia facit aliquos homines divites in morte dividere suas divitias, ut sibi dent vanam gloriam, quando faciunt magna legata, & quando testamentum narrat divitias: unde benedictus sis, *Domine*, qui in tua Morte voluisti habere tantam pau-

paupertatem, quòd non reliqueris tuis Discipulis denarios nec possessiones nec thesauros, sicut faciunt homines superbi.

21. Non solum in morte non legasti, *Domine*, thesauros nec terras nec alias res, sed etiam fuisti adeò pauper, quòd volueris tuum Corpus non habere locum, in quo sepeliretur; & volueris tuum Corpus dari Iosepho ab Arimathia, qui illud petiit à Pilato: quis igitur posset æstimare aliam Humilitatem similem huic?

22. h. Vere *Domine*, misericors, pie! Cùm Humilitas Te adeò humiliaverit, quòd Te fecerit mori viliori & angustiosiori morte, quæ possit esse; velles Te humiliare ad amandum unum hominem pauperem culpabilem peccatorem de vili loco natum, & pauperis potestatis?

23. In veritate, licèt ita sit, quòd Humilitas, quam habuisti, *Domine*, fuerit valde magna, quando Tibi placuit mori pro nobis peccatoribus, non esset minor, si Tibi placeret amare adeò vilem hominem, sicut ego sum; quia Tu es adeò altus & honoratus

244 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

tus & nobilis Dominus, & ego sum adeo vilis & culpabilis & ingratus homo, quod Humilitas non posset esse major, quam esset, si tam vilem hominem, sicut ego, amaret tam nobilis Dominus, sicut es Tu.

24. Igitur, quoniam voluisti, *Domine*, tuam humilitatem esse magnam in morte per hoc, quod morereris pro nobis peccatoribus, placeat Tibi velle tuam Humilitatem esse magnam in amando istum pauperem peccatorem.

25. i. *Æterne Rex Gloria, qui es Pater Dominus omnium rerum!* Tuæ gloriosæ Humilitati cognoscatur Magnitudo & Virtus; nam mors, quæ homini evenit secundum cursum naturæ, non est mors, per quam fit humilis in sua morte: igitur, ut Tu, *Domine*, esses humilis per mortem, voluisti mori contra cursum naturæ.

26. *Domine DEVS!* Sicut homines religiosi se humiliant pro tuo amore in suis vestimentis & in suis verbis & in suis cibis & in suis operibus, sic esset rationabile, quod se humiliarent ad moriendum pro amore

amore Tui, & vellent suam mortem esse similem tuæ; nam, sicut Tu es mortuus per verbera & per vulnera, sic esset rationale, quòd aliqui illorum morerentur simili morte.

27. Quoniam oportet hominem mori per cursum naturæ sive per febrim sive per dolorem sive per aposthema sive per aliam infirmitatem, quomodo potest esse, *Domine*, quòd non conetur mori pro tuo amore per vulnera vel per labores vel per aliam mortem, quæ non sit secundum operationem naturæ?

28. K. *Fortis Domine super omnes fortitudines, honorate super omnes honorationes!* Multitudo Humilitatis Te fecit humiliare ad esse venditum & ad esse clavis affixum cruci, & Te fecit elevari ad altum locum totum nudum, ut omnes Te viderent mori.

29. Humilitas, *Domine*, Te fecit capi & judicari ad mortem, & propter humilitatem voluisti dimitti Barabbam, quem Pilatus volebat tradere morti, & dimittere Te:

Te: igitur, cum Tu sis Creator Cœli & terræ unitus cum humana Carne, & Barab-
bas fuerit homo vilis peccator, quis posset
æstimare istam adeò magnam Humilita-
tem, quæ fuit in Te, quæ sustinuit vilem
hominem prius eripi à morte à judæis,
quàm Tu, qui es eorum Dominus & eorum
DEUS.

30. Sicut vas, in quo homo ponit om-
ne, quod vult, ita, *Domine*, tuum benedic-
tum Corpus fuit adeò humile in morte,
quòd, quæcunque mala & quascunque
pœnas judæi voluerint in eo ponere,
voluerit sustinere: unde laudatus
& benedictus sis ratione tuæ
Humilitatis, & placeat Tibi in
breui tempore meum corpus
superbum humiliari ad mo-
riendum pro amore Tui,
qui es suus Dominus
& suus DEUS.

CAPUT

CAPUT XCI.

QVOMODO NOSTER DOMINVS
*DEVS se humiliet homini per opera
sacrificii.*

1. **O** *DEVS*, Pater glorioſe, plene Gra-
tiâ & Pietate! Tuæ ſanctæ Hu-
miliati ſit laus & gloria, quæ Te faciebat
acceptare ſacrificium ſanctorum Prophe-
tarum & ſanctorum Patrum; nam ſacrifi-
cium quod ipſi offerebant, non erat Tibi
neceſſarium, ſed Tu es adeò humilis, quòd
nolles ipſum recuſare.
2. Cùm Tu, *Domine DEVS*, ſis ſu-
preſum bonum & omnia alia bona ſint
ſub Te, nulla oblatio nec ullum ſacrifici-
um, quod homo Tibi faciat, poteſt habere
tantam dignitatem, quantam ad Te perti-
net; ſed, quia Tù es adeò humilis & totus
dulcis & ſuavis, libenter & voluntariè ſuf-
cipis omne id, quod homo Tibi vult dare
& offerre.
3. Adeò humilis es, *Domine*, quòd
parvo

parvo dono, quod homo Tibi offerat, possit accedere ad tuum amorem & amicitiam; sed non est ita de Regibus & Principibus & altis Baronibus hujus mundi, quia adeò sunt superbi, quòd non velint ab homine suscipere parva dona, imò reputent se contemptos, nisi eis dentur magna & nobilia dona.

4. b. *Desiderate Domine, grate, amorose, virtuose* : Ratione magnæ Humilitatis, quæ est in Te, es contentus, quòd homo de fructibus, quos colligit, Tibi det decimam partem, & sibi retineat novem partes: unde ista est magna Humilitas, quando Tibi placet, quòd homo Tibi det adeò parum, & sibi retineat adeò multum.

5. Multi sunt homines, *Domine*, qui, si habeant filiam vel filium habentem defectum in suis membris, libentiùs ipsum Tibi dant & offerunt in aliqua Religione, quam si haberet perfectionem membrorum, & Tu es adeò humilis, quòd non contemnas suum donum, licet non esset dignum acceptari.

6. Tu,

6. Tu, *Domine*, es adeò humilis, quòd hominibus facientibus eleemosynam de vi-
lioribus rebus, quas habent, & dantibus id,
quo non indigent, non des repulsam: igitur,
cùm Tu sis adeò nobilis Dominus, quòd merearis hominem Tibi dare de om-
nibus rebus, quæ sunt meliores, magna
Humilitas est in Te, quando Tibi placet
suscipere illas res, quæ Tibi non sunt ne-
cessariæ & nobis non causant indigen-
tiam.

7. c. O *JESV* *Christe* *Salvator* *noster*:
Benedicta sit, *Domine*, magna Humilitas,
quæ est in Te; quia per abundantiam Hu-
militatis fecisti sacrificium tuæ sanctæ Dei-
tati, quod fuit valde humile in hoc, quòd
totam tuam Humanitatem obtuleris ad
graves labores & ad graves dolores & ad
gravem mortem, ut restaurares humanum
genus, quod erat perditum.

8. Valde magna & mirabilis est Hu-
militas, quæ est in Te, *Domine* *DEVS*;
quia, quantum ad Deitatem es valde hu-
milis in hoc, quòd Tibi placuerit conjun-
gere

gere Te nostræ humanæ naturæ, & quantum ad Humanitatem es valde humilis in hoc, quòd eam volueris tradere ad gravem passionem pro amore tui populi: unde benedicta sit adeò magna Humilitas, sicut tua, quæ ita se monstrat perfectam in Te.

9. Si tua Humilitas, *Domine*, se monstrat adeò perfectam in Te, quòd non posset esse major nec perfectior, superbia se monstrat magnam in nobis per multos modos; quia, sicut Humilitas fecit tradi tuum benedictum Corpus morti pro amore nostri; ita superbia facit tradi nostra corpora morti & labori, ut habeamus vanam gloriam mundanam.

10. d. *JESU Christe Domine, qui es directio & restauratio fidelium Christianorum!* Humilitas Te fecit effundere totum tuum pretiosum Sanguinem, ut acciperent vitam ab eo omnes, qui erant mortui per peccatum; & superbia prohibet divitibus, ne dent de aqua fontis pauperibus sitientibus.

11. Humilitas, *Domine*, Te fecit facere sacrificium de tuo Corpore, ut esset Panis vitæ tuo populo, qui erat perditus; & superbia prohibet divitibus, ne velint dare de pane materiali pauperibus pro amore Tui petentibus.

12. Sicut Humilitas, *Domine*, Te fecit plorare & torqueri & mori, ita superbia facit homines superbos occidere & furari & decipere homines pauperes: unde lauderis & benedicaris, *Domine*, ratione tuæ magnæ Humilitatis, & nos vilipendamus & reprehendamus ratione nostræ magnæ superbiæ.

13. e. O *Singularis Domine, fortis super omnes fortitudines, nobilis super omnes nobilitates!* Humilitas Te fecit contemnere honores & delectationes & placita hujus mundi; sed superbia facit nos procurare honores & desiderare delectationes & felicitates hujus mundi.

14. *JE SV Christe Domine!* Sicut Humilitas fecit tuos quinque sensus corporales esse subditos quinque sensibus spiritualibus;

libus; ita superbia captivat & subdit nostros quinque sensus spirituales quinque sensibus corporalibus.

15. Quia Humilitas humiliavit, *Domine*, tuos sensus corporales spiritualibus, ideo, dum vixisti in hoc mundo, fuisti vilipensus & contemptus & malè tractatus, & in fine fuisti occisus: igitur, quia superbia subdit sensus spirituales corporalibus in nobis, ideo sumus in hoc mundo in majori honore, quàm ad nos pertineat, & in morte honoramur multò plùs, quàm mereamur,

16. f. *Æterne Domine, infinite sine pari & socio!* Sancta Humanitas, quam assumpsisti, est in tam magna Humilitate, quòd velis, & ipsi placeat, per sanctitatem verborum Hostiam sanctificatam devenire in veram Carnem, & Vinum sanctificatum devenire in verum Sanguinem ipsius.

17. *JESU Christe Domine!* Tuum Corpus sanctificatum super Altare, & tuus Sanguis pretiosus sacratus per virtutem verborum præ magna Humilitate, quæ est

in

in Te, se permittunt recipi à multis hominibus peccatoribus, qui non sunt digni manducare tuum Corpus, nec bibere tuum Sanguinem.

18. Fuit unquam, *Domine*, ullum mirabile, vel ulla Humilitas, quæ cum ista possit æstimari & comparari, quod panis & vinum deveniant in tuam sanctam Humanitatem, quæ est unita cum Deitate, & quod tuum Corpus adeò nobile se permittat manducari & tractari ab homine peccatore misero? ista est una de majoribus Humilitatibus, quæ possint cogitari & æstimari.

19. g. *JESU Christe Domine* ! Ratione tuæ magnæ Humilitatis vis, quod tuum gloriosum Corpus & tuus gloriosus Sanguis præparentur in hoc mundo omni, homini qui eos velit recipere.

20. Non est ullus homo, *Domine*, quantumcunque proditor vel luxuriosus sit, & quodcunque vitium habeat, qui, si bono corde confiteatur, & ipsum bene peniteat suorum peccatorum, non possit dignè

254 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

nè suscipere tuum corpus: adeò es Tu in magna abundantia Humilitatis.

21. *JESV Christe Domine!* Quando tuum Corpus est sacrificatum super Altare, habeat tantam Humilitatem, quòd se permittat videri à peccatoribus, & vadat ad domos ad visitandum peccatores, ut eos mundet à suis gravibus peccatis, & ut eos mundet à suis foeditatibus, & ut eos sanet à suis gravibus infirmitatibus: igitur quænam Humilitas est similis isti, quòd Salvator velit esse adeò humilis, quòd eat visitare & sanare peccatores?

22. h. *JESV Christe Domine!* Tuum Corpus video se humiliare quotidie hominibus in hoc, quòd se sinat deferri ad eos, qui sunt res vilis & misera, & se sinat transferri per vias immundas ad domos peccatorum, qui non sunt digni esse in præsentia ipsius.

23. Tuum gloriosum Corpus video, *Domine*, transferri per plateas, & per vias, quæ sunt plenæ gentibus, & non video ullum hominum relinquere sua negotia,

&

& sequi ipsum ad locum, ad quem vadit.

24. Humilitas, *Domine*, vult, quòd tuum Corpus, quando est sanctificatum super Altare, non habeat formam nec saporem carnis, quamvis sit vera Caro: unde in tantum ipsum est humiliatum, quòd non appareat in forma humana, quæ est nobilior formâ panis & vini.

25. i. *Domine gloriose, juste, liberalis in omnibus bonis*! Sicut vasallus debet se humiliare suo domino omnibus modis humilitatis, ita tuum benedictum Corpus se humiliavit omnibus modis tuæ gloriose Deitatis.

26. *JESU Christe Domine*! Sicut Tu per viam Humilitatis sacrificasti totam tuam Humanitatem Deitati, ita deberemus nos humiliare, quousque de toto nostro esse, & de omnibus, quæ possidemus, faceremus sacrificium & oblationem ad tuam laudem & honorationem.

27. „Tibi, *Domine DEVS*, offero
„me & meam uxorem & meas proles &
„omnia, quæ possideo; & quoniam adeò
„Te

„Te humiliasti per opus sacrificii, placeat
 „Tibi Te humiliare ad acceptandum om-
 „nia, quæ Tibi do & offero, ut ego & mea
 „uxor & meæ proles simus tui humiles
 „servi.

28. K. *O DEVS mirabilis, magne super
 omnes magnitudines, honorate super omnes
 honorationes!* Sicut Tu, Domine, debes ho-
 norari & laudari ratione tuæ magnæ Hu-
 militatis, ita ego debeo vilipendi & repre-
 hendi ratione magnæ superbiæ, quæ fuit
 in me; quia coram figura sanctæ Crucis,
 quæ repræsentat Humilitatem, quam ha-
 buisti, quando fecisti sacrificium humano
 generi de tuo Corpore, multoties fui or-
 natus nobilibus vestimentis, & feci de me
 sacrificium dæmoni per opera peccati.

29. In præsentiam Crucis, quæ de-
 monstrat, Domine, quòd Tu fueris potatus
 felle & absynthio & aceto ad redimendum
 tuum populum, veniunt fœminæ facie &
 capillis & superciliis pictis, & ornatae ves-
 timentis & ornamentis deauratis; & quan-
 do Tibi deberent facere sacrificium, faci-

unt

Vol. I. Lib. II. Dist. XIX. Cap. XCII. 257
unt ipsum dæmoni.

30. *Domine DEVS !* Cùm Tu sis totus Humilitas , & nos simus toti involuti in superbia, placeat Tibi dare tantam Humilitatem nostris cordibus , quòd simus pleni Humilitate, & superbia non habeat ullam potestatem in nobis, ut simus laudatores Tui, qui es noster Dominus DEUS.

CAPUT XCII.

QVOMODO NOSTER DOMINVS
DEVS se humiliet orationi hominum.

1. **D** *EVS gloriose, vere, complete omnibus bonis !* Benedicta sit , *Domine* , tua sancta Humilitas & omne , quod tuum est ; quia Tibi placet Te humiliare omnibus illis qui Te orant & precantur per primum motum ; & illi, qui Te orant & precantur per secundum motum , non sunt digni, quòd Te humilics suis orationibus & precibus.

2. Gratiam à Te, peto, *Domine DEVS,*

R.

ut

ut mihi concedas meas orationes semper procedere per primum motum, ut Te humiliter ad exaudiendum eas; & precor Te, ut, quoties orabo Te, me facias cognoscere, per quem motum procedant meae preces; ut, si procedant per secundum motum, eas mutem ad primum.

3. Dum oro Te, *Domine*, precor Te, ut me facias cogitare in tua excellenti Bonitate & in mea magna fragilitate; & placeat Tibi omnes meas orationes dirigere per viam virtutum, & ipsas esse in plorantibus & poenitudinibus meorum peccatorum, & quoties oro, placeat Tibi implere meum cor amore & timore.

4. b. *O Domine sapiens, amorose, perfecte in omnibus bonis!* Omnibus orantibus Te primam intentione veraciter es Tu, *Domine*, humilis & dulcis & suavis, & eos exaudis in omni, quod petant: igitur beati sunt omnes, qui continuant suam orationem à principio usque ad finem tali intentione; quia omnes suae orationes & omnia sua verba sunt Tibi dulcia & placentia.

5. Homines superbi nolunt se humiliare precibus & petitionibus pauperum; sed Tu, *Domine*, es adeò humilis, quòd precibus divitum & pauperum & vilium & honoratorum velis Te humiliare & exaudire quæcunque à Te petant.

6. Homines superbi, *Domine DEVS*, nolunt respondere precanti eos, nisi precetur pulchris verbis, & quibus det eis magnam honorationem; sed non est ita de Te, quia es adeò plenus Humilitate, quòd, dummodo homo Te oret & precetur veris verbis & ordinatâ intentione, nullam vim facias in pulchritudine verborum, imò aufcultes & exaudias ipsum in omni, quod à Te petit.

7. c. *Iuste Domine, Pater & complementum omnium bonorum!* Sicut homines superbi sunt superbi in suis factis, ita sunt superbi in suis orationibus, quia, quando Te orant & precantur, superbè hoc faciunt, cum à Te petant vanas delectationes & honorem hujus mundi: unde, cum illi superbè orent, & viles res à Te petant, non est

est rationabile Te exaudire superbas preces eorum.

8. Quando superbi homines, *Domine*, Te precantur, nec habent suum cor ad Te, nec ad id, quod à Te petunt, & conquerruntur de injuriis, quas ipsi faciunt miseris pauperibus; sed non est ita de humilibus pauperibus, quia ad tuam Bonitatem & ad suam miseriam habent suum cor, dum orant & precantur Te, & de defectibus & injuriis, quæ eis fiunt, se accusant apud Te tanquam culpabiles, & ideo exaudiuntur homines pauperes in suis orationibus, & superbi multiplicant in suis orationibus perdurabiles labores.

9. Dignum est, *Domine*, Te non exaudire homines superbos in suis precibus; quia, dum Te precantur, non faciunt nisi oscitare & dormire, & pigre & tepide dicunt, quidquid Tibi dicunt, & unum dicit os & aliud cogitat cor.

10. d. *Domine magne, Domine liber, Domine nobilis!* Non est naturale orationem hominis superbi cum elevare sursum, imò est

est naturale eum deprimere deorsum : unde , cum ego sim de hominibus superbis , meæ orationes me non elevabunt sursum : igitur magnam Humilitatem faceres , *Domine* , si Te velles adeò humiliare , quòd descenderes ad me per tuam Humilitatem , quoniam superbia impedit ascensum meorum orationum.

11. Si ita sit , *Domine DEVS* , quòd velis ad me accedere per Humilitatem , omnis homo potest esse securus de tua Humilitate , quòd poterit per eam venire ad Te , quoties velit ; quia , qui meis verbis se humiliat ad exaudiendum ipsa , omnibus aliis se humiliabit , & omnia alia exaudiet & recipiet.

12. In bona spe possunt esse , *Domine* , omnes humiles Religiosi & sæculares , dummodo habeant justitiam & charitatem ; quia , si Tu adeò magno peccatori , sicut ego sum , & adeò vili & misero homini Te humiliasti faciendo mihi multas gratias , & dando mihi multa , quæ petivi à Te , satis reputo miserum omnem hominem , qui de
tua

262 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
tua Misericordiâ desperat.

13. e. *O Domine DEVS, qui audis omnes, qui Te invocant, & das omnibus, qui ordinatè à Te petunt ! Adeò magna est tua Humilitas, quòd non sit ullus homo quantumcunque vilis & peccator & vitiosus, qui, quotiescunque velit, non possit esse tuus amicus & tuus familiaris & tuus benevolus.*

14. *Domine DEVS ! Si homo vult ascendere in altos montes, non est ullus montium, qui se inclinet ad eum; & Tu, qui es altus super omnes montes, quando homo vult ascendere ad Te per orationem, statim Te inclinas ad eum, adeò plenus es Humilitate.*

15. *O gloriose Domine ! Benedictus sis Tu, qui es adeò humilis, quòd non sit ullus homo quantumcunque velox ad orandum & precandum Te, cujus contemplatio sit in suo corde & oratio in suo ore prius, quàm Tu sis humiliatus ad suas preces, dummodo sint tales, quòd sint Tibi acceptabiles.*

16. f. *Amabilis Domine, plene pietate & gratiâ!* Homines superbi, quando eunt ad orandum & precandum Te in Ecclesia, plûs sibi nocent, quàm prosint; quia falsâ intentione eunt & falsò Te orant & precantur.

17. Si Tu, *Domine DEVS*, es humilis, quia Te humilias orationibus hominum peccatorum, qui Te devotè orant, valde sunt superbi & audaces omnes, qui putant, quòd debeas Te humiliare suis superbis precibus.

18. *Domine DEVS!* Sicut ignorantia & superbia faciunt homines superbos audaces in precando Te pro rebus illicitis; ita tuus servus & tuus subditus excitatur & fit audax in precando Te & confidendo in Te ratione recordationis tuæ magnæ Humilitatis, quam sancta Crux ei repræsentat.

19. g. *Singularis Domine æterne, Pater omnium temporum!* Gloria & honor fiant, *Domine DEVS*, tuæ magnæ Humilitati, quæ se humiliat ad exaudiendum omnia verba

264 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
verba vera, dummodo in se contineant
amorem & pietatem.

20. *JESV Christe Domine!* Quando
tua sancta Humanitas orabat in hoc mun-
do coelestem Patrem, tuum os dicebat hoc,
quod tuum Cor cogitabat; & præ magna
devotione tuæ animæ de tuis oculis decur-
rebant lacrymæ, quibus plorabas nostra
peccata.

21. *O JESV Christe, Dominus meus &
DEVS meus!* Quoniam tuum benedictum
Cor se humiliavit ad cogitandum oratio-
nem, & tuum Os se humiliavit ad oratio-
nem, & tui benedicti Oculi se humiliarunt
ad plorandum propter fervorem orationis,
peto à Te gratiam, ut Tibi placeat humi-
liare tuas aures ad audiendum preces tui
servi & tui subditi.

22. h. *O Domine DEVS, qui promittis
gloriam & benedictionem omnibus aman-
tibus Te!* Quando tua sancta Humani-
tas precabatur Deitatem, non precabatur
eam propter ullum peccatum nec propter
ullam necessitatem, quæ esset in Te; sed,
quando

quando ego Te precor, & Te oro, plús est meum cor in meis necessitatibus, quàm in tuis honorificentis; & propterea mea oratio non est ordinata, ut exaudias meas preces.

23. Nam non Te precor, *Domine*, modo, quo debeam exaudiri; quia plús attendo ad meos defectus, quàm ad tuas perfectiones: igitur, ut meæ preces exaudiantur, imposterum semper mea prima intentio erit in precando Te, quomodo possim dare laudem & honorem de tua sancta Passione apud illos, qui eam ignorant.

24. Mea oratio, *Domine*, non debet esse talis, quòd petam à Te honorem in hoc mundo nec in alio; quia sum adeò culpabilis & vilis, quòd nec in hoc mundo nec in alio merear ullum bonum nec ullum honorem: igitur omnis mea oratio debet esse directà ad hoc, ut possim esse tuus laudator; quoniam laudando Te pervenit homo ad perdurabilem beatitudinem.

25. i. *Sanctificate Domine, virtuose, gloriose!* Reges & Principes & alti Barones hujus mundi rogantur tanquam Domini, quamvis

quamvis non sint, nisi tui procuratores: igitur, cum Tu sis Dominus super eos, oporteret hominem habere selectum modum in precando Te, & oporteret illum modum esse nobiliorem & meliorem modo, quo precatur terrenos dominos.

26. Adeò sumus ignari & superbi, *Domine*, quòd majores sint nostræ preces & orationes, ut nobis des de bonis temporalibus futuris, quàm sint gratiæ, quas Tibi facimus propter illa, quæ nobis dedisti: igitur, quando non Te humilias ad omne, quod petimus, nos ipsi habemus culpam, quia adeò magnæ deberent esse nostræ gratitudines sicut petitiones, quas Tibi facimus pro bonis temporalibus.

27. Qui in oratione vult figere suum cor, & ipsum tenere in hoc, quod à Te petit, inquirat, *Domine*, novas rationes, & extrahat de se ipso materiam laudandi & precandi Te; & sic poterit meliùs suum cor constringere in contemplando Te, quàm faceret, si continuò oraret unâ oratione; quia, quando homo continuat unam orationem,

tionem, os dicit unum, & cor imaginatur aliud.

28. K. *Beate Domine, humilis, abundans omnibus bonis!* Qui volunt, quòd Te humilies ad suas orationes, caveant sibi, ne Te orent superbis verbis, & ne excusent suos defectus, imò sua verba sint humilia, & suum cor timidum & poenitens peccatorum, quæ cogitavit & tractavit.

29. Homines superbi, *Domine*, Te precantur, ut facias pro amore sui tales res, quales ipsi non facerent pro amore Tui, si eos precareris; & consumunt multum tempus in suis vanis delectationibus, & parum in laudando & benedicendo Te: igitur secundum hoc non est mirum, si Te non humilies suis orationibus.

30. Tuus servus, *Domine DEVS*, & tuus subditus agit Tibi multas gratias in præsentia tui benedicti Altaris & tuæ prætiosæ Crucis, quia ei fecisti gratiam adducendi ad perfectionem istam Distinctionem, & petit à Te, ut ei des gratiam, quâ possit perficere omnes alias Distinctiones futuras ad gloriam & laudem sui Domini DEI.

DISTINCT. XX.

DE MAGNA MISERICORDIA
divina.

CAPUT XCIII.

QUOMODO NOSTER DOMINVS
DEVS sit misericors ratione sua magna
Bonitatis.

1.
a.



DEVS pie, benigne, a-
morese, gloriose! Tuæ
sanctæ Misericordiæ, Do-
mine, sit gloria & honor
& benedictio semper;
quia ratione altæ natu-
ræ & nobilis Bonitatis,

quæ est in Te, oportet esse in Te perfec-
tam Misericordiam.

2. Cum Misericordia, Domine DE-
VS, sit res valde nobilis & valde bona in
se ipsa, & Tu sis suprema Bonitas sinè ullo
defectu,

defectu, oportet necessariò Misericordiam esse in Te, quia finè ipsa non posset esse perfecta tua magna Bonitas.

3. Benedicta sit, *Domine DEVS*, tua magna Misericordia & tua magna Bonitas; quia ratione tuæ Misericordiæ habet complementum omnis boni tua Bonitas, & ratione tuæ magnæ Bonitatis est in Te perfectio Misericordiæ.

4. b. Magnitudo & honorificentia & dominium cognoscantur in Te, *Domine DEVS*, qui es infinita Bonitas; &, si ita esset, quòd Misericordia non esset in Te, oporteret tuam Bonitatem esse terminatam, in quantum Misericordia in ea deficeret: igitur, cùm tua Bonitas sit finè fine, de necessitate convenit Misericordiam esse in ea.

5. Sicut tua gloriosa Bonitas, *Domine DEVS*, est infinita, ita oportet tuam benedictam Misericordiam esse infinitam; &, quia tua Misericordia est finè fine, ideo gloria beatorum, qui erunt in paradiso, non habebit finem.

6. Magno

6. Magno placito & magnâ devotione & magno fervore debemus, *Domine*, omnes communiter facere reverentiam & honorem tuæ magnæ Misericordiæ; quia ratione suæ magnæ magnitudinis gloria paradisi est perdurabilis, & est gloria sinè fine & inæstimabilis.

7. c. *O Domine DEVS*, qui provides omnia! *O Rex gloria*, qui remittis omnes culpas! Quia tua Bonitas meretur cognosci in perpetuum, ideo tua Misericordia voluit dare *esse* humanum hominibus, ut sint cognitores & laudatores ipsius.

8. Unde benedicta sit, *Domine*, tua Bonitas, eoquod est digna, ut cognoscatur & laudetur, & ei serviatur; quoniam per hanc dignitatem, quam ipsa habet, magna felicitas venit hominibus in hoc, quod eis fiat Misericordia de cœlesti gloria, in qua tuam Bonitatem cognoscant & laudent, serviant & ament.

9. *Domine DEVS*! Sicut ad tuam Bonitatem pertinet habere in se omnem Potestatem & omnem Sapientiam & Justitiam

& Largitatem & omnem Virtutem, ita Misericordia est adeò alta Virtus & alta Nobilitas, quòd, sicut illæ merentur esse in tua Bonitate, sic ipsa mereatur esse in ea.

10. d. *Gloriose DEVS, qui visitas orphanos & tribulatos, & eos vivificas in spe tuae Misericordiae!* Sicut tua divina Substantia est in esse divino ratione tuæ Potestatis & Sapientiæ & Justitiæ, ita est in eo ratione tuæ Misericordiæ.

11. Si omnes virtutes non essent in Te, *Domine*, vel in Te non essent perfectæ, tuum esse non esset dignum esse divinum: igitur sicut tuum esse est perfectum per alias tuas virtutes, ita convenit ipsum esse perfectum per tuam Misericordiam.

12. Unde propterea oportet, quòd tua Misericordia, *Domine*, sit in Te essentialis & non accidentalis; quia si esset accidentalis in Te, sicut est in nobis, non esses perfectus illâ perfectione, quæ ad Te pertinet.

13. c. *Celestis Domine gratiose, amorese.*
be-

benigne! Adeò nobilis res est tua Misericordia, quòd ego non sim dignus eam à Te petere, quia sum res vilis & culpabilis & plena peccato; sed Tu, *Domine*, es adeò nobilis & bonus & plenus omni bono, quòd secundum tuam Bonitatem & Perfectiorem conveniat Te uti in me Misericordiâ & Pietate.

14. Principalis ratio, *Domine DEVS*, quare precor Te, ut miserearis mei, est, ut mihi des gratiam Te honorandi & amandi, & Tibi serviendi, quia sic decet secundum tuam magnam Bonitatem.

15. *Honorate Domine!* Quando ego à Te peto Misericordiam, ut Tibi possim servire, non audeo eam à Te petere intuitu mearum magnarum necessitatum: igitur quæ causa & quæ ratio poterit Te detinere ne miserearis mei, quoniam ita Misericordiam peto à Te?

16. f. *Domine amate, Domine honorate, Domine sapiens, Domine humilis!* Tuus servus & tuus subditus petit gratiam à Te, ut ei facias Misericordiam, quousque sua
in-

intentio sit semper vera & ordinata in omni, quod faciet & dicet.

17. Cúm Tu, *Domine DEVS*, sis perfectus in tota tua Essentia & in omnibus tuis operibus, & tua Misericordia sit per Te totum & per omnia tua opera, peto à Te gratiam, ut meam intencionem perficias & illumines tuâ Misericordiâ tali modo, quòd tota mea intentio sit directâ per ipsam.

18. Quoniam Tu, *Domine DEVS*, es adeò plenus Misericordiâ, quòd possis misereri & tuam Misericordiam effundere super tuum populum plús, quàm ipse possit recipere, magnam rationem habes multum miserendi ipsius.

19. g. *Gratiosè Domine, benigne, amorosè, plene omnibus bonis* ! Sicut tuo populo demonstrasti tuam Misericordiam esse magnam in magnis donis, quæ ei dedisti, ita ei demonstras ipsam esse magnam in magnis culpis, quas ei remittis: igitur, sicut mihi fuisti misericors in multis donis, quæ mihi dedisti, ita precor Te, ut mihi sis misericors in multis culpis, quas mihi re-

S

mittas.

274 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
mittas.

20. Sicut radii solis non conspurcantur nec foedantur, quamvis transeant per sterquilinia & per immundas vias; ita, *Domine*, quamvis ego sim res foeda & immunda per peccata, tamen, si me respicias tuis misericordiis oculis, ipsi non foedabuntur in me, sed ego mundabor in ipsis.

21. Si sol extendit suos radios super planities & montes & colles & valles ratione suæ magnæ magnitudinis & supremæ altitudinis, tua Misericordia, *Domine*, quæ est alta super omnes altitudines & est magna super omnes magnitudines, quamvis sim parvificatus & vilificatus per culpam & per naturam, tamen non desistat venire super me & respicere in me.

22. h. *O Domine DEVS, qui beatificas beatos! O Domine DEVS, qui das gratiam & benedictionem tuis benevolis!* Sicut magnus ignis non potest consumi nec deleri per modicam aquam, ita mea peccata & mea culpæ non poterunt deleri nec consumi sine magna Pietate & Misericordia,
quam

quam habeas erga me.

23. Sicut homo, qui est valde calefactus à calore solis, properat, quantum potest, ad umbram arboris, ita ego, *Domine*, qui sum valde calefactus in operibus peccati, vado obumbrari ad arborem sanctæ Crucis, quæ est tota plena foliis & floribus & fructibus & ramis & branchis operum Misericordiæ.

24. *Domine DEVS*! Si cervus, qui est res bestialis, habeat tantam sapientiam, quando est venenatus à serpente, quem comedit, quod currat ad aquam, ut cum ipsa sibi succurrat contra venenum; stultus essem ego, *Domine*, nisi citò recurrerem ad tuam magnam Misericordiam, ut me sanet à meis gravibus peccatis, quæ foederunt meam animam & corruperunt meum corpus.

25. i. *O Domine misericors, liberalis in omnibus bonis*! Si ita sit, quod sim scriptus in libro damnationis ratione meorum mortalium defectuum, peto à Te gratiam, ut scribas meam sententiam calamo Misericordiæ

276 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

cordiæ tincto in tuo pretioso Sanguine, quem effudisti ad restaurandum humanum genus; quoniam tali calamo & tali atramento fuit scripta in mundo tua Passio & tua angustiosa Mors.

26. Sicut navis, quæ periclitatur in mari per tempestatem, & attendit, quantum potest, ad portum salutis; ita ego, *Domine*, qui in hoc mundo periclitor per opera peccati, attendo ad tuam Misericordiam, quæ est portus salutis, in quo peccatores inveniunt remedium in suis tribulationibus & in suis angustiiis.

27. *O Domine gloriose!* Veniat Tibi in placitum & in gratiam, quòd, sicut piscis, qui est totus submersus in aqua, & aqua continet ipsum totum intra se ipsam, ita ego sim totus involutus & circumdatus à tua benedicta Misericordia, ne tua Sententia me puniat ratione meorum mortalium defectuum in igne perdurabili.

28. *K. Misericors Domine, humilis, dulcis & suavis, plene dulcedine & gratiâ!* Si nullum corpus potest esse sinè forma, & nullum

nullum accidens finè subiecto, mea salus & mea beatitudo non potest esse finè tua Misericordia; quia nulla alia res est, quæ me posset sanare à meis mortalibus peccatis & à meis gravibus & magnis culpis.

29. *O Domine DEVS!* Adeò benedicta res est tua Misericordia, & adeò est mihi necessaria, quòd ad nullam aliam rem attendam, nec in ulla alia sperem; & dummodo possim memorare tuam Misericordiam, & possim beneficiari ab ea, omnes alias res possum leviter transire & contemnere, & pro nihilo reputabo nullam habere.

30. Gloria & Virtus & Benedictio & Sanctitas sint, *Domine DEVS*, tuæ magnæ Misericordiæ, & benedicti sint omnes, qui eam petunt & quærunt; & omnia, quæ sunt occasio homini ad consequendum ipsam, sint benedicta & laudata & amata & culta; & omnes, qui sunt laudatores & servi tuæ excellentis Misericordiæ, habent rationem, quare debeant lætari & consolari in tua Misericordia divina.

**QVO MODO NOSTER DOMINVS
DEVS** *fit misericors ratione precum, quæ
ei sunt.*

1. **O** **DEVS** *misericors, gloriose, abun-*
a. *dans omnibus bonis!* Omnes debe-
mus lætari, *Domine*, in tua magna Miseri-
cordia, quæ est rogata à tua sancta Huma-
nitate, quæ rogat pro nobis peccatoribus:
unde, cum tua Humanitas roget Deitatem
repræsentando famem & sitim & laborem
& mortem, quam sustinuit pro nobis, securi
possumus esse, quòd habebimus tuam be-
nedictam Misericordiam.

2. *Domine* **JESV** *Christe!* Cum tua
gloriosa Mater nostra Domina sancta MA-
RIA, quæ est Regina cœli & terræ, Te
precetur, ut miserearis nostri peccatorum,
magnam rationem habes exaudiendi suas
preces, & nos magnam rationem habemus
confidendi in eis.

3. Angeli, *Domine*, non cessant petere
gra-

gratiam, & Te precari, ut miserearis tui populi: igitur, cum Tu sis rogatus ita nobiliter & honoratè, dignum est, ut exaudias eos, qui Te rogant.

4. b. *Domine laudate, Domine amate, Domine volite, Domine honorate!* Prophetæ & Apostoli & Martyres non faciunt nocte & die nisi petere gratiam à Te, ut miserearis tui populi: igitur, cum ipsi in hoc mundo sustinuerint multas tribulationes pro amore Tui, ratio est, ut eos exaudias.

5. *Gloriose Domine!* Omnes Confessores & omnes Sancti & Sanctæ paradisi Te precantur pro nobis, in quantum possunt: igitur, cum ipsi sustinuerint in hoc mundo multos labores & multam paupertatem & multas angustias pro tuo amore, placeat Tibi Te inclinare ad audiendum omne id, pro quo Te precantur.

6. In hoc mundo Te precantur, *Domine*, multi Religiosi & multæ Religiosæ & multi viri & multæ fœminæ die & nocte; & preces, quas Tibi faciunt, sunt pro Misericordia, quam à Te petunt: igitur, cum

tot

tot preces Tibi fiant in hoc mundo & in altero, expedit, ut respicias tuum populum tuis oculis plenis Misericordiâ.

7. c. *O Domine fortis super omnes fortitudines! O Domine magne super omnes magnitudines! O Domine alte super omnes altitudines!* Preces, quas Tibi facimus, sunt, ut nobis des gratiam Te amandi & honorandi & laudandi & Tibi serviendi ex toto nostro corde & ex omnibus nostris viribus: igitur, cum tales preces sint justæ & rationabiles, oportet Te habere tantam Humilitatem, quod Te humilies ad habendum Misericordiam de nobis, qui Te precamur pro re, quæ est ad gloriam & honorem tui beati esse.

8. Quando homo, *Domine*, rogat taliter, quod roget, sicut debet, & ille, qui rogatur, rogatur, sicut ad eum pertinet, tunc preces sunt tales, quod per se debeant exaudiri: igitur, cum nos Te precemur, sicut debemus, quoniam à Te petimus gratiam, ut Te amemus & honoremus, & Tu debeas rogari isto modo, est rationabile, quod

quòd nos exaudias in nostris precibus.

9. O *Domine amorose, benigne* ! Sicut Tibi soli convenit esse Creatorem & Redemptorem & Salvatorem, ita nobis convenit Te precari, & à Te petere gratiam, & Tibi convenit misereri nostri peccatorum.

10. d. Reverentia & dominium & honor habeantur Tibi, *Domine DEVS*, qui habes placitum, quando homines Te precantur devoto corde & plorantibus oculis & ordinatâ intentione, quia decet tales preces fieri Tibi, & tales preces sunt dignæ exaudiri à Te.

11. *JESU Christe Domine* ! Tu orasti in sancta Cruce devoto & inamorado Corde & orasti in ea ploratibus & lacrymis & effusione Sanguinis & aquæ: quare fuit dignum preces, quas fecisti pro tuo populo, exaudiri.

12. Cùm Tu, *Domine*, oraveris in sancta Cruce adeò humiliter & devotè & adeò gravibus laboribus & angustiosâ morte, tuus servus Te precatur plorando, quàm

hu-

humiliter potest, ut ei facias tantam Misericordiam, quòd pro tuo amore eat anxius & plorans dando laudem de tua sancta Passione angustiosa.

13. e. *Iuste Domine, pie erga nos!* Cùm tuus captivus & subditus sciat Te misertum fuisse multoties multorum hominum peccatorum, Te precatur meliori modo, quo potest, ut miserearis ipsius, sicut misertus es aliorum; quia adeò est ei necessaria tua Misericordia, sicut cuilibet alteri, cùm adeò magnus peccator sit, sicut quilibet alius, & æquè sit tua creatura, sicut alii.

14. *Domine DEVS!* Quia ego scio Tibi placere, quòd homo à Te petat Misericordiam, ideo audeo eam à Te petere; sed, si scirem Tibi non placere, non eam peterem; quia nullas preces debet homo Tibi facere, quæ sint contrariæ tuæ Voluntati & tuo placito.

15. Preces, quas ego Tibi, *Domine*, facio quotidie, non sint Tibi molestæ; quia mihi est necessarium Te precari & Te ora-

re & ad Te clamare, & justum est Te rogari, & ego sum obligatus ad rogandum Te, & ad petendum Misericordiam à Te omnibus diebus meæ vitæ.

16. f. *O DEVS magne, mirabilis, humilis, virtuose!* Ad tuam Bonitatem & ad tuam Nobilitatem pertinet, quòd homo à Te petat Misericordiam, & confidat in tua Misericordia: igitur, quoniam ita est, omnes habemus rationem & obligationem petendi à Te Misericordiam, & confidendi in tua Misericordia.

17. Unde, quia nos, *Domine*, facimus id, quod debemus, quoties Te precamur, ut nobis des gratiam, & quoties confidimus in tua Misericordia, rationabile est Te nostri misereri, quoniam ad Te pertinet misereri.

18. *Domine vere DEVS!* Quia Tibi placet, quòd homo à Te petat Misericordiam, ideo eam à Te peto; & eam peto, ut des gratiam contemplationis hominibus justis, „ ut calefiant in tuo amore, & eant „ad docendum sanctam Fidem Romanam „apud

284 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

„apud infideles, qui vadunt in ignem per-
„durabilem per defectum Doctorum.

19. g. *Domine DEVS, qui beneficia &
illuminas fideles Christianos in via verita-
tis!* Tuus servus filius tuæ ancillæ à Te
peto gratiam, ut mihi facias Misericordiam
contemplandi in tua magna Bonitate, &
memorandi mea peccata & meam vilita-
tem, quia ita pervenit homo ad gloriosam
beatitudinem.

20. *O placens Domine, plene gratiâ!*
Tuus captivus & tuus homo Te oro & pre-
cor, ut ponas tuam Misericordiam inter
me & tuam Justitiam, ne tua Justitia ve-
niam super me, & me puniat in igne perdu-
rabili.

21. Tu, *Domine DEVS*, qui mihi fe-
cisti Misericordiam de meo *esse* in hoc,
quòd ipsum mihi dederis, habes rationem
faciendi mihi Misericordiam, ut in hoc
saeculo cum toto meo *esse* sim servus & lau-
dator tuæ gloriosæ Deitatis & tuæ bene-
dictæ Humanitatis; „ & placeat Tibi, ut,
„quando transcam ex hoc saeculo in aliud,
„tran-

„transeam per viam Martyrii.

22. h. *Domine DEVS, qui es Ordinator & Factor omnium bonorum!* Si ego Tibi multiplicem preces & multa verba nocte & die, ut mei miserearis, non sit Tibi molestum nec grave; quia ad tuam Nobilitatem pertinet, quod homo multoties eam precetur, & mihi est necessarium die & nocte à Te petere Misericordiam.

23. Tam graves sunt, *Domine*, mea culpæ, & tam magna sunt mea peccata, quod non possim me continere à petendo & precando tuam Misericordiam, ut me faciat & alleviet à meis peccatis, quæ mihi sunt mortales inimici.

24. Sicut in mense martio æquantur & inæquantur dies & nox, ita, *Domine*, tota nostra beatitudo stat in tua Misericordia; quia, si miserearis nostri, sumus beati, & si non miserearis nostri, sumus expulsi à tua beatitudine.

25. i. *Domine sancte, Domine nobilis, Domine perfecte & complete in omnibus rebus!* Benedicta sit tua Misericordia & omne,

286 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

ne, quod tuum est; nam sicut columna sustinet domum, ita tua Misericordia sustinet meum *esse*; & sicut domus destruitur, quando prosternitur columna, in qua sustentatur, ita, si Tu auferas tuam Misericordiam à me, tua Justitia destruet me ratione meorum gravium peccatorum.

26. *O Rex gloriæ, pie, plene gratiâ!*
Si homines divites habent misericordiam erga pauperes, quando pauperes eos precantur ploratibus & lacrymis & devotione, placeat Tibi, *Domine*, qui es dives super omnes divitias, erga me habere Misericordiam, quoniam plorando ante tuum benedictum Altare eam à Te peto.

27. *Domine!* Licet pauperes multoties fatigati sint in me, & ego non exaudiverim preces, quas mihi faciebant pro amore Tui, tamen non velis me fatigari in precibus, quas Tibi facio; nam, quoniam vis esse misericors, non debes repellere me, quamvis non misertus fuerim pauperum, quia non debes dare malum pro malo, nec tuas Perfectiones debes comparare meis defectibus.

tibus.

28. K. *O Domine DEVS, qui es Salvator & Benefactor noster! Sanctitas & Gloria & Honor dentur tuæ honoratæ Misericordiæ; quia totus meus thesaurus & totum meum capitale & tota mea spes & totum meum bonum stat in ea: igitur, quoniam tota mea beatitudo stat in tua Misericordia, precor Te, Domine, ut me dirigas & ponas in tali via, quò possim venire ad ipsam, quæ est Mater & Domina meæ salutis.*

29. *Licet meæ preces, Domine, non sufficiant ad precandum Te, nec ego sim dignus à Te exaudiri, tamen sufficiat tua Misericordia; quia, quò plùs deficiunt meæ preces, & quò plùs ego sum indignus exaudiri, si miserearis mei, eò major demonstrabitur tua Misericordia.*

30. *Domine DEVS amorose! Ut possim me parare & dirigere & ordinare, ut sciam Te precari & amare & honorare & laudare & Tibi servire, „ precor Te, ut „prolonges meos dies, quousque exaudiar*

„à

CAPUT XCV.

QVOMODO NOSTER DOMI-
mus DEVS sit misericors rationestrarum
magnarum necessitatum.

1. **O** *DEVS gloriose, nobilis super om-*
 nes honores, *honorate super omnes*
valores ! Laudatus sis Tu & benedicta sit
 tua magna Misericordia ; quia, sicut noster
 defectus & nostra miseria nobis dant natu-
 ram & proprietatem procedendi in nostris
 operibus per cursum secundi motus, ita,
Domine DEVS, tua Misericordia dat no-
 bis naturam & proprietatem procedendi in
 eis per cursum primi motus.
2. Nisi esset tua magna Misericordia,
Domine DEVS, nullus homo faceret un-
 quam nisi malum ; quia adeò fragilis est ho-
 mo, quòd nihil aliud faceret nisi errare
 & delinquere ; sed tua Misericordia suc-
 currit & auxiliatur nostræ miseriæ, & dat
 nobis

nobis proprietatem & naturam per gratiam,
ut faciamus bona opera.

3. Sicut peccatores, *Domine DEVS*,
faciunt mala opera, quia sequuntur suam
fragilem naturam; ita homines iusti fa-
ciunt bona opera, quia participant cum
tua benigna Misericordia.

4. b. *Domine sapiens, Domine iuste, Do-
mine potens*! Si tu es totus plenus & per-
fectus in Virtute & Bonitate, nos sumus
pleni & cooperti defectibus & indigentis
& miseriis.

5. Igitur ratione tuorum magnorum
bonorum & tuarum nobilium perfectionum
convenit, *Domine*, quòd miserearis nostri,
in quibus sunt conjuncti omnes defectus &
omnes fragilitates & omnes paupertates &
omnia peccata.

6. Benedictus sis, *Domine DEVS*;
quia omnimodè demonstratur nobis tua
Misericordia; quoniam ratione tuæ Boni-
tatis oportet ipsam esse in Te, & ratione
nostrorum peccatorum & defectuum opor-
tet ipsam habere exercitium in nobis.

290 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

7. c. *O Domine sancte ! O Domine Saluator & Redemptor noster !* Ratione nostrorum defectuum sunt in nobis accidentaliter accidentia , quæ omnia sunt in defectibus & in miseria & paupertate ; nam , quia nostra natura est pauper & misera , ideo sunt in nobis fames & sitis & calor & frigus & angustia & dolores & mors.

8. Unde, cum nos ita malè tractemur à nostrismet defectibus rationabile est, *Domine* , quòd tua magna Misericordia succurrat nostris angustiiis & nostris tribulationibus ; quia sinè ipsa non possemus eas sustinere.

9. Si tua Misericordia, *Domine*, non adjuvaret nos , non esset, qui nos adjuvaret ; quia non possemus adjuvari à nobis contra nostrasmet fragilitates, cum nos simus nostramet miseria ; & quocunque eamus & ubicunque simus, sit semper nobiscum & in nobis nostra miseria & nostra paupertas & noster defectus.

10. d. *Gloriose Domine, perdurabilis, Refugium & Spes nostra !* Omnes quotquot sumus,

mus, sumus pleni defectibus, & sumus inimici adinvicem, & omnes sumus tentati & afflicti à dæmone, & omnes habemus parum sensus & virtutis in nobismet ipsis, & unusquisque est inimicus & malevolus sui ipsius.

11. *Domine DEVS!* Cùm nos simus in tot necessitatibus & tribulationibus, nullum aliud consilium habemus, quàm confidere in Te, ut nobis de cœlo mittas tuam Misericordiam, quæ nos adjuvet in omnibus nostris laboribus & in omnibus nostris necessitatibus.

12. Si tua Misericordia, *Domine*, non citò veniat super nos, omnes sumus perditæ & omnes peribimus in nostris fragilitatibus & miseriis; quia nulla alia res habet proprietatem nec virtutem nec naturam adjuvandi nos & succurendi nobis nisi tua Misericordia tantum.

13. e. *O singularis Domine amorose, pie, dulcis & simplex & suavis!* Qui Te perdit, se ipsum & quidquid habet, perdit & nihil ei remanet: igitur, cùm ego, *Domine*,
mal-

multoties Te perdiderim propter vanitatem huius mundi, non est ulla res, quæ mihi possit reddere id, quod perdididi, nisi tua Misericordia tantum.

14. Unde, cum ego sim ita pauper & miser & tantum perdiderim, & meæ culpæ sint tot & adeò magnæ, bene vides, *Domine*, quòd valde indigeam tuâ Misericordiâ, & bene scis, quòd sinè ipsa nihil sim.

15. Cum tua Misericordia, *Domine*, sit super omnia, quæcunque sunt creata & facta, & omnia comprehendantur intra ipsam, & ego sim parva creatura, cui ipsa est adeò necessaria, quomodo posset esse, quòd non misereris tam pauperis peccatoris, sicut ego sum? nullatenus possum cogitare, *Domine*, quòd velis mei oblivisci in tuâ Misericordiâ.

16. f. Benedicta sit, *Domine DEVS*, tua magna Misericordia, quæ voluit coniungere tuam Deitatem cum humana natura, ut succurreret & auxiliaretur nostris fragilitatibus & nostris miseriis.

17. *Domine*

17. *Domine DEVS!* Si tua Misericordia Te fecit descendere de cœlo in terram, & fecit aperiri tuas carnes clavis, qui intrarunt in tuum Corpus, peto à Te gratiam, ut ipsa me faciat ascendere in cœlos, & mihi aperiat portam paradisi, in quo videtur tua benedicta præsentia.

18. *O Domine!* Si tua Misericordia non elevet nos in cœlos & aperiat nobis portas paradisi, nulla alia res extrahet nos ab indigentia: igitur, quoniam in Te est tanta Misericordia, placeat Tibi, quòd non simus indigentes per defectum ipsius.

19. g. *O Domine DEVS, à quo descendunt & veniunt omnia bona & omnes virtutes, & in quo inveniuntur omnes gratia & indulgentia!* Sicut tua Justitia justè minuit & parvificavit totam naturam humanam in tempore diluvii in hoc, quòd tota perierit præter illos, qui fuerunt in arca Noe; ita tua Misericordia exaltavit & nobilitavit totam ipsam in glorioso Utero gloriosæ Virginis nostræ Dominæ sanctæ MARIÆ.

294 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

20. *Amorose Domine pie!* Sicut tua Misericordia effudit totum Sanguinem tui Corporis & totam aquam tuorum oculorum, ita à Te peto gratiam, ut ipsa effundat pro tuo amore totum sanguinem mei corporis & totam aquam meorum oculorum.

21. Si mei defectus & meæ paupertates conspurcaverunt meum corpus & meam animam, tua Misericordia, *Domine*, potest mundare me totum à vitiis & peccatis.

22. h. *Domine DEVS, qui es unus in Trinitate & tres Personæ in Vnitate!* Sicut navis perit in mari ratione tempestatis maris & venti, ita quotidie puto perire in mea fragilitate & in mea miseria ratione magnorum defectuum, qui sunt in me: unde, sicut navis indiget tranquillitate maris & venti, ita ego indigeo tuâ Misericordiâ, ut me adjuvet, ne peream in meis defectibus.

23. Omnes mei defectus, *Domine*, sunt contra me, & omnes sunt ad meum damnum & ad meam destructionem & ad me-

am

am mortem; & non habeo ullam rem, quæ me adjuvet, & à qua petam consilium & adjutorium, nisi à tua Misericordia, quia à nulla alia re potest mihi venire bonum, nisi ab ea.

24. *O Domine misericors, pie!* Quoniam mei defectus mihi sunt contrarii & mihi sunt adeò inimici, & ego sum victus & superatus ab eis, placeat tuæ piæ Misericordiæ me adjuvare: & adjutorium, quod ego peto ab ea, est, ut me faciat Te amare & laudare & honorare, & Tibi servire ex omni mea mente & ex omnibus meis viribus.

25. *Domine DEVS, qui es Amator omnium bonorum, & qui remittis omne, quod vis!* Tu scis, quòd tua Misericordia fuerit principium mei esse; quia, nisi ipsa mihi dedisset esse, ipsum non haberem: igitur, quoniam ipsa mihi dedit esse, precor Te, ut placeat ei esse mea mater & mea amica & esse mihi causa, ut perveniam ad tuam Gloriam & Benedictionem.

26. *Domine liber, plene dulcedine & pie-*

296 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

pietate: Quoniam meum corpus & mea anima per omnes partes circumdantur & obsidentur à defectibus & paupertatibus, per omnes partes & per omnes modos indigeo tuâ Misericordiâ; quia, nisi cooperiar & implear ipsâ, peribo in illis partibus, in quibus non habeo eam.

27. Sicut homo infirmus gravi infirmitate, qui non potest sanari nec convalescere nisi per unum modum & per unum medicamentum, ita scias, *Domine*, quòd ego adeò sim infirmus, quòd non possim curari nisi per unam curam & unum unguentum, hoc est per oculos tuæ Misericordiæ; quia cum hoc solo, quòd ipsi me velint respicere, statim sanabor ab omnibus meis culpis & languoribus.

28. K. *Domine amate, Domine volite, Domine memorate*: Ratio & natura requirit & mandat, quòd res miseræ pauperes indigentes recurrant ad fontem virtutis & omnis complementi & omnis perfectionis: igitur, cum ego sim creatura valde indigens & misera, non est mirum, si recurram ad
tuam

tuam sanctam Misericordiam, ut me adjuvet in meis curis & in meis necessitatibus.

29. Mirum est, *Domine*, quòd homo pauper & indigens non recurrat ad tuam Misericordiam, & desperet de Te, qui nunquam repulisti ullum hominem à tua Misericordia, dummodo eam petiverit à Te, sicut pertinet & convenit eam peti.

30. Multi homines sunt in hoc mundo, qui moventur ad pietatem & misericordiam erga pauperes & orphanos & desolatos: igitur, cum Tu, *Domine*, videas me adeò pauperem virtutibus & adeò oneratum peccatis, placeat Tibi Te movere ad Misericordiam mearum necessitatum, ut possim venire ad tuam gloriosam Gloriam divinam.

CAPUT XCVI.

QVOMODO NOSTER DOMINVS

DEVS sit misericors erga omnes illos, qui in sua Misericordia confidunt.

I. **O** *DEVS misericors, vere, honorate,*
a. *potens super omnes potestates, mag-*
ne

ne super omnes magnitudines! Si ad Te pertinent honorificentia & reverentia & honor ratione tuæ magnæ Bonitatis, similiter pertinent ad Te ratione Misericordiæ, quam habes erga illos, qui in tua Misericordia confidunt.

2. *Gloriose Domine!* Sicut Tu appropriasti meo *esse* proprietates, per quas eat secundum cursum naturæ; ita appropriasti mihi confidentiam in tua benedicta Misericordia.

3. Benedictus sis, *Domine DEVS*, & benedicta sit tua Misericordia, quia, sicut Tibi est proprium misereri ratione tuæ Perfectionis, ita nobis est proprium confidere in tua Misericordia, ratione nostrarum necessitatum.

4. b. *O Domine sapiens! O Domine Creator & Redemptor noster!* Tot modis & in tot vias non verto meam cogitationem, quod possim invenire ullam viam nec ullum modum, in quo non sis misericors erga omnes illos, qui in tua Misericordia confidunt,

5. Non

5. Non est ulla res creata & facta, *Domine*, in qua tua Misericordia non stet, & non sit; quia omnia perirent, si tua Misericordia non esset: unde, quia tua Misericordia stat in omnibus rebus, ideo eam à Te peto in omnibus meis necessitatibus.

6. Cùm ego tuus servus & tuus subditus, *Domine*, videam tuam Misericordiam esse in omnibus locis, & videam ipsam mihi esse adeò necessariam, magnam injuriam mihi facerem, si in ea non confiderem; & quoniam in ea confido, magnam injuriam mihi faceres, si mei non miserereris, cùm tantam Misericordiam habeas, & ipsa sit mihi adeò necessaria.

7. c. *Domine DEVS, qui es suprema Bonitas & complementum & perfectio omnium bonorum!* Tuus homo & tuus captivus confido in tua Misericordia verâ intentione & vero proposito amandi & honorandi Te: unde, cùm mea intentio principaliter sit in amando & honorando Te, & in serviendo Tibi, ideo est rationabile, quòd habeas pietatem & Misericordiam erga me.

8. Qui

8. Qui à Te petunt gratiam, *Domine*, ut Tibi possint servire, possunt melius confidere in tua Misericordia, quàm qui à Te petunt gratiam, ut possint recipere honores & servitia; quia illi, qui plùs amant Te honorare, & Tibi servire, quàm sibi ipsis, confidunt in Te legaliter; & illi, qui amant plùs honorare & servire sibi ipsis, quàm Tibi, confidunt in Te malè & falsò.

9. Beati sunt omnes, qui à Te, *Domine*, sperant Misericordiam verâ intentione; quia oportet, quòd eam consequantur, quoniam intentio est vera & ordinata; & qui falsâ intentione à Te petunt Misericordiam, frustra confidunt, quia sunt maledicti, & non licet eis confidere in ea, quoniam nunquam eam consequentur, cùm in sua confidentia misceant inordinationem & falsitatem.

10. d. *Humilis Rex Gloriæ, honorate super omnes nobilitates!* Cùm tua Misericordia sit adeò magna, & ego videam eam se extendere ad tot homines, non est mirum, si confidam in ea, imò dico Tibi, *Domine*, quòd,

quòd, si scirem Te non misereri ullius hominis, adhuc non desperarem de tua Misericordia; quia est impossibile per desperationem habere beatitudinem, & est possibile per confidentiam venire ad coelestem gloriam.

11. Eundo & stando & sedendo & comedendo & bibendo & vigilando & dormiendo volo confidere in tua Misericordia, *Domine*; quia valde bene scio, quòd, dum confidam in ea, nullus meorum inimicorum poterit mihi nocere.

12. Qui vivunt in hoc mundo & non confidunt in tua Misericordia, non est mirum, *Domine*, si habeant labores & tribulationes, & si tententur & decipiantur & superentur & malè tractentur à suis inimicis; quia non est, qui eos juvet, nec qui eos custodiat & defendat, quoniam non sperant in tua Misericordia.

13. c. *Perdurabilis Domine, plene Misericordia!* Gratix & amores, quos mihi fecisti in tempore praterito, sunt mihi signum & demonstratio, ut confidam in Te in futuro; quia,

quia, sicut mihi fuisti misericors in bonis præteritis, ita potes esse mihi misericors in futuris.

14. Sicut Tu, *Domine*, voluisti effundere tuum Sanguinem & mori pro amore nostri, ita debemus confidere in tua Misericordia, quòd nobis det perdurabilem gloriam; quia Misericordia, quæ nobis dedit tuum Corpus, ut salvemur, nobis dabit bona paradisi, & nos defendet ab igne infernali.

15. Unde benedictus sis Tu, *Domine*; quia nulla res tantum convenit cum altera in natura & proprietate, quantum indulgentia, quam nobis concedas, & confidentia, quam habeamus in tua dulci Misericordia; quoniam convenit Tibi indulgere, & nobis convenit confidere in Te.

16. f. O *Domine sapiens*, adjutorium & restauratio nostra: Benedictus sis Tu & omne, quod tuum est; quia, sicut vasallus fortiter obligat suum Dominum, quando confidit in ejus adjutorio & succursu; ita, *Domine*, ego volo confidere in tua Misericordia,

cordia, ut Te respicias tanquam obligatum ad miserendum mei, quoniam in Te confido.

17. Tuus servus, *Domine DEVS*, stat ante tuum gloriosum Altare & ante figuram sanctæ Crucis, & petit à Te junctis manibus genuflexus corde devoto & oculis plorosis, ut ei concedas tuam Misericordiam tali modo, quòd sit ei tanquam pater & mater & dominus & directio & liberatio à peccato.

18. Tuam Misericordiam, *Domine DEVS*, spero & desidero, ut mihi sit propugnaculum & domus refugii, & ut me vestiat & cooperiat intus & foris gratiâ & benedictione, & imposterum fac de me, quidquid velis; quia me semper invenies confidentem & sperantem in tua Misericordia.

19. g. *Domine DEVS*! Gloria & virtus & nobilitas & omnia bona cognoscantur tuæ Misericordiæ, quæ est adeò magna, quòd intellectus & imaginatio non sufficiant ad comprehendendum magnitudinem
ipsius;

ipſius; & ſicut intellectus & imaginatio hominis non ſufficiunt ad comprehendendum magnitudinem tuæ Miſericordiæ, ita volo habere tantam confidentiam in ea, quòd magnitudo meæ confidentiæ non poſſit comprehendì à meo intellectu & imaginatione.

20. Multoties æſtimavi, *Domine*, apud me, quid ſit majus vel tua Miſericordia vel mea peccata & meæ culpæ; & licèt ſint valde magna mea peccata & meæ culpæ, tamen invenio tuam Miſericordiam eſſe multò majorem ipſis, &, quia hoc invenio, propterea confido in tua benediſta Miſericordia.

21. Sicut proprium eſt homini peccatori, quòd ſit crudelis & ingratus ratione ſui peccati; ita eſt proprium homini juſto, quòd ſit tener corde & pius ratione bonorum operum in quibus eſt: igitur, cùm Tu, *Domine*, ſis adeò pius & bonus, de neceſſitate convenit, quòd ſis miſericors; & propterea tua magna Bonitas me facit omnibus diebus / confidere in tua Miſericordia.

22. h. *Domine large, Domine virtuose, Domine sapiens!* Cum tua Misericordia sit adeo magna, quod non habeat ullum defectum in se, imò habeat omne complementum & omnem perfectionem, omni homini sufficit confidere in ipsa tantum, & non oportet confidere in ulla alia re; quia non oportet hominem confidere in sua fortitudine nec in sua juventute nec in suis divitiis nec in sua sapientia nec in amicis nec in cognatis nec in honorificentia, quam habeat, dummodo in tua Misericordia confidat.

23. Omnis homo, *Domine*, qui in alio, nisi in Te, confidit, frustra confidit; quia omnia præter Te sunt vana & plena defectu; & propterea, qui in eis confidit, est vilis & vanus & plenus defectu, quia ea, in quibus confidit, sunt vilia & vana & parvæ utilitatis, & in omnibus se invenit deceptum in fine.

24. Benedicta sit, *Domine DEVS*, tua magna Misericordia & benedicti sunt omnes, qui in ea confidunt; quapropter

306 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

nolo meam spem & confidentiam esse in ulla alia re, nisi in tua Misericordia, de qua derivantur & veniunt omnia bona.

25. i. *O Domine Sancte, qui es Lumen & Splendor omnium peccatorum in Te confidentium!* Sicut pullus, qui vadit post gallinam, quando videt milvum, statim refugit ad protegendum se sub alis gallinæ; ita *Domine*, quoties cogito, & perpendo tuam magnam Justitiam & mea magna peccata, propter magnum timorem, quem habeo à tua Justitia, statim recurro ad confidendum in tua Misericordia.

26. Via, per quam homo vadit ad perdurabilem ignem, est opus peccati, & via, quæ ducit hominem ad perdurabilem gloriam, est opus Misericordiæ: igitur, cum majus peccatum, quod possit esse, sit, *Domine*, desperatio de tua Misericordia, ne in me sit istud peccatum, & ut mea opera sint in via perdurabilis gloriæ, confidam in Te & in tua Benignitate & in tua misericordi Pietate, & nunquam volo esse sine confidentia in tua Misericordia.

27. Cum

27. Cùm figura Crucis demonstret, *Domine*, tuum Corpus nudum & flagellatum & clavis affixum & vulneratum & mortuum, demonstrat tantam Misericordiam, quòd majorem non posset demonstrare: igitur, cùm in Cruce tua Misericordia demonstretur tanta, satis miser est, qui de ipsa desperat.

28. K. O Rex gloriose, *Domine Domini-
rum, humilis super omnes humilitates* ! Cùm tua Misericordia mihi dederit tot bona in hoc mundo, quantò majora mihi dabit in altero? nam, si Tu, *Domine*, es misericors de istis bonis temporalibus, quæ nihil valent respectu bonorum alterius sæculi, quantò plús eris misericors de bonis alterius sæculi?

29. Tuam Misericordiam, *Domine*, adoro & benedico & laudo ex omni mea potestate, quia fecit mihi gratiam de *esse* humano, & me fecit esse Christianum, & me facit Te amare & honorare, & Tibi obedire & servire, & dat mihi sufficientiam bonorum temporalium: igitur, cùm tot
bona

308 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

bona mihi venerint à tua Misericordia, satis stultus essem & extra meum sensum, si de ea desperarem.

30. In omnibus meis necessitatibus, *Domine DEVS*, & in omnibus rebus, quibus indigeo in hoc sæculo & in altero, confido in tua Misericordia, & ei ago gratias & laudes, quia mihi fecit gratiam perficiendi istam Distinctionem & alias, & in ea confido, quòd me adjuvet ad perficiendum alias Distinctiones futuras ad gloriam & laudem nostri Domini

DEI.

DISTINCT.



DISTINCT. XXI.

DE GLORIA PARADISI.

CAPUT XCVII.

QVOMODO HOMO GLORIFICE- *tur in divina Essentia.*

1.
a.



DEVS glorioſe! Tibi,
qui es complementum
meorum deſideriorum
& perfectio mei propo-
ſiti, ago gratias & lau-
des confidendo in tua

benedicta Gloria, in qua glorificantur beati
à tua Deitate in quinque ſenſibus ſpiritu-
alibus.

2. Nam, quia homo, *Domine*, in glo-
ria cogitat in tua Magnitudine & in tua
Virtute, & intelligit & percipit omne id,
in quo cogitat; ideo ſentit in ſua anima
tantam gloriam & dulcedinem, quòd non
ſit

310 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

fit ulla gloria & dulcedo, quæ cum illa sit æstimabilis nec comparabilis.

3. Dum anima beati glorificatur, *Domine*, in tua Deitate, tota sua gloria & tota sua dulcedo & tota sua beatitudo est in laudando & benedicendo tuam Deitatem, & totum suum conatum ponit in agendo Tibi gratias & in cognoscendo tuam honorificentiam & tuam nobilitatem.

4. b. *O Domine DEVS*, qui es oculus meorum oculorum, & Dominus mearum virium! Beati, qui glorificantur in gloria ratione perceptionis & cognitionis, quam habent de tua Deitate, ideo se sentiunt gloriosos, quia tam bonum saporem & tale placitum habent in cognoscendo Te, quòd non sit cor hominis potens concipere & figurare gloriam, quam illi sentiunt.

5. *Amorose Domine*! Sicut homo sentit majorem calorem, quòd plùs accedit ad ignem, ita erit de illis, qui erunt in tua Gloria; quia, quòd plùs suæ animæ accedent ad cognoscendum & percipiendum & intelligendum tuam Deitatem, eò plùs sentient
se

se ipsas glorificatas.

6. *Domine DEVS!* Sicut magnus ignis est causa magni caloris, ita magna perceptio & magna cognitio de tua gloriosa Deitate erit hominibus in paradiso causa essendi in magna gloria & benedictione.

7. c. *O Domine nobilis per multas nobilitates! O Domine honorate per multas honorationes!* Qui in gloria habent conscientiam, quod tua Misericordia deleverit omnia sua peccata, glorificantur ratione conscientiae, quae eos non remordet, nec tenet in dubio.

8. Imò tota sua conscientia est, *Domine*, in reputando se obligatos ad laudandum & benedicendum & adorandum Te, & ad agendum Tibi gratias pro magna gratia, quam eis fecisti; & ista intentio, quae eis venit à sua conscientia, est eis occasio, ut recipiant gloriam à tua gloriosa Essentia divina.

9. *O Humilis Domine plene Gratia!* Sicut homines iusti & recti cum conscientia constringunt & torquent corpus in hoc saeculo

saeculo ratione peccatorum & defectuum,
quos timent facere, ita in coelesti gloria
beati glorificabuntur ratione conscientiae,
quam habebunt ad amandum & laudan-
dum Te, & ad serviendum Tibi.

10. d. *Sapiens Domine, patiens, pie, con-*
fortatio & spes nostri peccatorum! Ratione
magnae subtilitatis, quam homo habebit in
gloria in tua sancta Trinitate & in tua be-
nedicta Unitate, habebit tantam gloriam,
quod non posset plus habere.

11. Adeo subtilis erit homo, *Domine*, in
gloria in cognoscendo tuam Aeternitatem
& tuam Infinitatem & tuam Potestatem &
Sapientiam & alias Virtutes, quod illa sub-
tilitas adeo magna erit ei tanta gloria,
quod non possit arbitrari nec aestimari.

12. In coelesti gloria habebit homo,
Domine, tantam subtilitatem in cognoscen-
do conjunctionem & unionem tuae Deita-
tis cum tua Humanitate, quod illa subti-
litas erit ei occasio valde magnae gloriae.

13. e. *Domine DEVS, qui es melior Do-*
minus & dulcior & acceptabilior, qui possit
esse:

esse ! Tu glorificabis in gloria homines justos ratione suæ *animositatis* ; quia in hoc, quòd ipsi percipient magnas altitudines & nobilitates tuæ Deitatis, eveniet eis adeò magna animositas in amando & laudando & honorando Te, & adeò magnus erit suus fervor & ardor in amore, quòd nulla gloria sit comparabilis cum illa, quam sentient per amorem, quem habebunt erga Te.

14. Adeò conveniens videbitur beatis, qui erunt in gloria, *Domine*, laudare & adorare Te, & obedire Tibi, & adeò magna erit voluntas & amor, quem in hoc habebunt, quòd nulla alia res erit, in qua velint cogitare, nisi in amando & honorando Te.

15. Quando beati in gloria se videbunt coram Te, *Domine*, & percipient se esse amandos à Te perdurabiliter, & sentient se totaliter inamoratos de Te, tunc erit adeò magna sua animositas & suus amor, quòd non posset æstimari nec comprehendere magna gloria, quæ erit in eis per magnum amorem, qui eis veniet à tua gloriosa

314 **B. Raym. Lulli Lib. Contempl.**
riosa Essentia divina.

16. f. *O Domine sancte, gloriose, in quo perficiuntur & complentur omnia nostra desideria & omnes nostra spes! Modi, quibus homo glorificabitur in Te, erunt tot & adeò magni, quòd non possint comprehendi nec æstimari.*

17. Adeò magnam perfectionem habebit, *Domine*, gloria, quam homo habebit in tua Essentia, quòd non erit necessarium ipsum glorificari in cibo & potu & in commercio fœminarum: imò, si ita esset, quòd istæ res essent in gloria, non posset homo tantum glorificari, quantum glorificabitur sinè ipsis.

18. Nam, sicut sensus spirituales turbantur per corporales in hoc mundo, ita, *Domine*, si homo in paradiso comederet, & biberet, & carnaliter communicaret cum fœminis, turbaretur, & non posset perfectè recipere gloriam à tua benedicta Essentia divina.

19. g. *O Domine DEVS, qui es Splendor omnium splendorum & Lumen omnium lumi-*

Vol. I. Lib. II. Dist. XXI. Cap. XCVII. 315
luminum! Cum oporteat coelestem gloriam
esse perdurabilem & infinitam, oportet
hominem in ea non glorificari per cibum
& potum & conjunctionem carnalem;
quia, si ita glorificaretur, gloria esset fini-
ta, quoniam unum placitum & unus sapor
finiret & terminaret alium.

20. Cum res, quas homo comederet
& biberet & palparet in paradiso, si tali-
bus rebus glorificari deberet, essent finitæ
& habentes principium, de necessitate con-
veniret, *Domine*, gloriam, quam inde ha-
beret, esse finitam, quia res finita non ha-
bet dignitatem nec potestatem dandi glo-
riam infinitam.

21. Tua sancta divina *Essentia, Domi-
ne DEVS*, laudetur & glorificetur & be-
nedicatur, quæ est adeò alta & nobilis,
quòd sufficiat ad gloriam Angelorum &
hominum, quia sit necessaria beatitudo
epularum & commixtio virorum & mulie-
rum.

22. h. *Gloriose Rex Gloria, perfecte in
omnibus bonis!* Si in hoc mundo, *Domine*,
pla—

placitum, quòd homo invenit in cibo & potu & vestitu & in delectatione carnali, eum impedit ab amando & laudando Te, & à contemplando in Te; quantò plús eum impediret in alio sæculo, si tale placitum in eo haberet?

23. In tua gloria, *Domine*, multò majus placitum & bonum saporem habebunt homines de gloria, quam videbunt esse in Te, quàm de illa, quam videbunt in se ipsis, quia multò plús amabunt Te, quam se ipsos: igitur, si ita esset, quòd comedere & bibere & delectatio carnalis essent in paradiso ad glorificandum homines, oporteret ipsos amare se plús, quàm Te, quia vellent recipere gloriam à re distincta à Te.

24. Sicut homo in hoc mundo non potest habere gloriam & bonum saporem à rebus diversis in eodem tempore, ita, *Domine*, non poterit in paradiso habere gloriam & beatitudinem nisi à Te; quia, sicut in hoc mundo non potest perpendere nec cogitare simul diversas res, ita in paradiso
non

non posset simul habere gloriam à Te & à cibo & potu & delectatione carnali.

25. i. *O Domine DEVS, qui es Salvator & Recreator noster*: In hoc, quòd fueris sufficiens ad dandum complementum & perfectionem huic mundo secundum quòd est conveniens, apparet, quòd sis sufficiens ad dandum gloriam per Te ipsum illis, qui erunt in paradiso: igitur, si in paradiso homo deberet comedere & bibere ad habendum complementum gloriæ, videretur, quòd Tu non esses sufficiens per Te ipsum ad dandum perfectam gloriam.

26. Si per aliam rem nobis non significaretur nec demonstraretur, quòd homo in paradiso non comedet nec bibet nec carnaliter conferet cum foeminis nisi per intentionem, propter quam Tu, *Domine*, fecisti hominem, hæc sufficeret ad affirmandum in paradiso non esse futuram talem gloriam; quia intentio, propter quam fecisti hominem, non fuit ad hoc, ut in paradiso haberet talem gloriam, imò fuit, ut in eo cognosceret tuam magnam Bonitatem,

318 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
tatem, & glorificaretur in ea.

27. Si in hoc mundo videmus, *Domine*, tam magnam dulcedinem & tam magnum placitum habere homines pauperes, quando possunt loqui cum Regibus & cum magnis hominibus; quomodo posset esse, quod in gloria, quando homines erunt in præsentia tuæ Deitatis, indigeant gloriâ lactis & vini & mellis & butyri & olei & aquæ & delectationis carnalis.

28. K. *Singularis Domine, in quo stat tota nostra beatitudo & tota nostra benedictio!* Ratio, quare homo invenit in hoc mundo bonum saporem in comedendo & bibendo, est inordinatio quatuor qualitatum & quinque potentiarum animæ: igitur, cum in paradiso erunt quatuor qualitates hominis temperatæ & potentiæ animæ ordinatæ, per hoc potest homo intelligere & scire, quod non oporteat se habere in paradiso bonum saporem prædictarum rerum corporalium.

29. Possetne ullus homo dicere majorem stupiditatem & majorem fatuitatem,
Domine,

Domine, quàm quando dicit in paradiso hominem non posse habere perfectam gloriam sinè cibo & potu & consortio foeminarum? quare non considerat Te habere multò maiorem potestatem dandi gloriam hominibus de tua essentia, quàm ipsi possint recipere in ipsis?

30. *O Pater cælestis, abundans omnibus bonis! Cùm gloria, quam homo recipit à tua Essentia, Domine, sit sinè fine; & delectationes, quas homo recipit in hoc misero sæculo, sint adeò transitoria, quomodo est tanta stultitia in nobis, quòd propter istam caducam felicitatem mundanam obliviscamur infinitæ gloriæ, quævenit & derivatur à tua gloriosa Essentia divina?*

CAPUT XCVIII.

*QVOMODO HOMINES IUSTI
in paradiso glorificabuntur in Humanitate
nostri Domini DEI IESV Christi.*

1. *O DEVS honorate, Domine laudate*
a. *O ab omnibus gentibus! Laus & gloria*

ria & benedictio sint tuæ sanctæ Humanitati, quæ glorificabit in paradiso homines in suis sensibus corporalibus, per quos virtutificabuntur ad glorificandum sensus spirituales in tua Deitate.

2. Adeò magna est conjunctio sensuum corporalium & sensuum spiritualium hominum, *Domine*, quòd in paradiso sensus corporales erunt occasio spiritualibus, ut habeant multiplicationem gloriæ, & spirituales erunt occasio corporalibus, ut habeant majorem gloriam & majorem beatitudinem.

3. *Gloriose Domine!* Sicut tua gloriosa Essentia divina erit subjectum & causa, ut glorificentur sensus spirituales hominum, qui erunt in paradiso, ita tua benedicta humana Natura erit subjectum & causa, ut glorificentur sensus corporales ipsorum: igitur, ut sensus spirituales & corporales hominum haberent in paradiso, de quo possent recipere perfectam gloriam, oportuit Te esse simul DEUM & Hominem.

4. b. O *Domine DEVS, qui es vera Vita,*

Vita, de qua recipiunt vitam omnes alie vite! Ratio, quare homo glorificabitur in paradiso in tua Humanitate, erit, quia videbit eam esse conjunctam cum Deitate, & videbit tuum gloriosum Corpus pulchrius & splendidius omni pulchritudine & splendore, & videbit tuam sanctam Humanitatem honorari & laudari & adorari ab Angelis & Arch-angelis & Patriarchis & Prophetis & Martyribus & Confessoribus & omnibus Sanctis.

5. Unde, quando homo, *Domine*, videbit in gloria tuam humanam Naturam adeò honoratam, quòd cum Deitate sit unita, & quando videbit ipsam adeò pulchram & gloriosam, de ista visione habebit adeò magnum placitum & magnam dulcedinem, quòd nulla gloria nec ullus bonus sapor possit esse major & melior.

6. Unde benedicta sit, *Domine*, tua sancta Humanitas, quia satis rationabile & verum apparet, quòd majorem gloriam habebit homo in paradiso videndo eam in adeò magno honore, quàm haberet, si comederet

mederet & biberet & delectaretur cum foeminis, & non videret ipsam esse conjunctam cum tua Essentia divina; quoniam apparet, quòd majorem gloriam debeat dare res conjuncta cum Deitate, quàm res non conjunctæ cum ipsa, & maximè, quando homo se videbit illius naturæ & figuræ, in qua videbit tuam Humanitatem conjunctam cum Deitate.

7. c. *Domine vere DEVS, qui es unus in Trinitate, & qui es insimul Deitas & Humanitas*: Quando beati audient in gloria auribus corporalibus voces & cantus, quos Angeli & Sancti paradisi emittent in tuas laudes & in tuas honorationes, tunc sentient tantam dulcedinem & tantam gloriam, quòd nullus homo posset eam eloqui nec æstimare.

8. Quodnam placitum & quemnam bonum saporem potest homo habere, *Domine*, à laudatione epularum & vestimentorum & pulchritudinum foeminarum & communicationis earum, de quo possit habere & sentire tantam gloriam & dulcedinem,

nem, quantam de vocibus, quas Angeli & Sancti & Sanctæ emittent dando laudem de tua Humanitate unita cum tua Deitate?

9. In paradiso, *Domine*, quantumcunque magnam beatitudinem epularum & indumentorum & fœminarum haberet homo, non posset adeo accedere ad tuam Deitatem sicut per hoc, quod ipsa sit unita cum natura humana: unde propter hoc plus beatitudinis & gloriæ consequetur homo in gloria ratione tuæ Humanitatis, quàm consequeretur, si haberet omnes delectationes, quas Saraceni credunt esse ibi habendas in cibo & potu & indumentis & palatiis & fœminis.

10. d. *O Domine DEVS, qui visitas fideles Christianos, & eos defendis à manibus suorum mortalium inimicorum!* Beati, qui erunt in gloria in corpore & anima, glorificabuntur in tua Humanitate corporaliter; quia, sicut homo sentit calorem in igne, ita ipsi suam gloriam & suum placitum & suum bonum saporem sentient in honorificentia

324 *B. Raym. Lulli. Lib. Contempl.*
centia & exaltatione , quam videbunt in
tua Humanitate.

11. Nam, quando ipsi se sentient esse
tuæ Naturæ, & se sentient amari à Te, &
esse tuos amatores, tunc, *Domine*, adeò sen-
sibile gloriæ erit corpus cujuslibet , quòd
non posset plus glorificari ullo alio mo-
do.

12. Satis stultus est , *Domine* , & satis
ignarus omnis homo, qui credat majorem
gloriam posse homines habere per cibum
& potum & fœminas in paradiso , quàm
per unionem tuæ Humanitatis cum tua
Deitate.

13. e. *Domine bone, Domine sapiens , Do-
mine potens, plene gloriâ & benedictione!*
Quamvis in paradiso , qui in eo erunt, non
sentiant saporem gustus nec odoratus, sicut
Saraceni dicunt , tamen gloria non erit di-
minuta nec manca.

14. Nam adeò magnam gloriam ha-
bebit homo, *Domine* , ex visione tuæ Hu-
manitatis, & adeò magnam dulcedinem ex
auditione cantuum & laudum, quibus ho-
mines

mines & Angeli Te laudabunt, & adeo placebunt ei tua verba, & adeo gaudebit videndo se hominem, sicut Tu, quod non desiderabit sapes ciborum nec placita odorum ratione magnæ sufficientiæ & complementi gloriæ, quam habebit.

15. Multò majorem gloriam sentient homines, *Domine*, in tribus sensibus corporalibus scilicet in visu & auditu & tactu ex hoc, quod sis DEUS & Homo, quàm sentirent, si non esses DEUS & Homo, & ipsi gustarent & odorarentur in paradiso; quia plùs ponderant & majorem gloriam recipiunt tres sensus ex hoc, quod sis conjunctus cum humana natura, quàm reciperent quinque, si non esses conjunctus cum ea.

16. f. *O Domine sapiens, magne in omnibus nobilitatibus, honorate in omnibus honorationibus!* Benedicta sit tua sancta Humanitas, in qua glorificantur Angeli & Archangeli paradisi; nam, quia tua Anima rationalis est in natura similis Angelis; propterea ipsi habent gloriam, quando vident

326 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
dent se esse in natura similes ipsi.

17. Tuæ gloriosæ Humanitati, *Domine DEVS*, detur gloria & honor, quoniam in ea perfectè glorificantur omnes Angeli & omnes Sancti paradisi; & benedicta sit tua Deitas, quæ cum ea voluit se conjungere ad dandum gloriam beatis paradisi.

18. Cùm tua Humanitas, *Domine DEVS*, sit gloriosa in paradiso, & det gloriam omnibus Sanctis paradisi, magnam injuriam sibi ipsis faciunt infideles, qui eam contemnunt; & valde magnum damnum evenit eis per hoc, quòd ignorent in hoc mundo honorem & gloriam, quam ipsa habet in alio sæculo.

19. g. *Domine DEVS*: Tuæ honoratæ Humanitati cognoscatur omnis sapientia & omnis nobilitas & omnis benedictio; nam, quia ipsa est unita & conjuncta cum tua Deitate, est adeò alta & honorata in virtutibus & nobilitate, quòd possit dare perfectam gloriam omnibus illis, qui ab ea gloriam recipiunt.

20. *Domine*

10. *Domine vere DEVS!* Cùm tua Humanitas sit adeò gloriosa & nobilis, beati sunt omnes, qui ad laudem & honorem & servitium ipsius sustinent in hoc sæculo ignominias & contemptus & tormenta & mortem.

21. Nam, sicut conjunctio tuæ Deitatis cum tua Humanitate, *Domine*, est causa gloriæ & benedictionis tuæ Humanitatis, ita similitudo operum & mortis ipsius, quæ fuerit in Martyribus in hoc mundo pro amore Tui, erit eis causa gloriæ & benedictionis.

22. h. *Iuste Domine, virtuose, plene omnibus potestatibus & omnibus viribus!* Cùm tua Deitas habeat tuam Humanitatem adeò gloriosam & honoratam in paradiso, valde tenemur eam amare & honorare & laudare & ei servire.

23. Si nos sumus obligati, *Domine*, honorare tuam Humanitatem ex tota nostra potestate, satis miseri & culpabiles sumus, quando tuum pretiosum Corpus de pane consecratum super Altare recipimus in os
men-

328 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
mendax, & aspiciamus oculis peccatoribus
& tractamus manibus immundis.

24. Estne ulla stultitia & ignorantia,
Domine, similis isti, quòd tuum Corpus sit
in paradiso adeò honoratum à tua Deitate
& ab omnibus Angelis & Sanctis, & nos in
hoc mundo ei demus tam paucum hono-
rem, & ei faciamus tam paucam reveren-
tiam?

25. i. *O Domine DEVS, qui es prior &*
posterior omnibus rebus! Benedicta sit tua
beata Humanitas, quæ est mediatrix inter
tuam Deitatem & gloriam Sanctorum pa-
radisi, ut beati habeant gloriosam gloriam
perfectam sinè ullo defectu, quæ sit com-
pleta in omni perfectione & complemen-
to.

26. Sicut est res extranea & timibilis,
quòd homo vilis & miser & pauper acce-
dat ad nobilem Regem potentem, & cum
eo soletur; ita, *Domine*, esset res extranea
& timibilis, quòd creatura accederet ad
suum Creatorem, & cum eo solaretur in pa-
radiso, quin Creator esset conjunctus cum
creatura.

creatura.

17. Unde benedictus sis, *Domine DEUS*, qui voluisti suscipere humanam Carnem, ut per eam Sancti paradisi assumerent gloriam & benedictionem à Te; quia valde magna causa est eis gloriandi in Te, quando vident tuam Humanitatem, quæ est eis similis in natura, esse unitam cum tua Deitate.

28. K. *Humilis Domine, qui es Spes & Consolatio nostri peccatorum!* Cum nullus homo quantumcunque multam scientiam habeat, possit comprehendere & scire magnitudinem Gloriæ, quam sancti paradisi recipiunt à tua Humanitate; quis est, qui posset arbitrari & æstimare magnitudinem Gloriæ, quam ipsa recipit à tua gloriosa Deitate?

29. Cum omne id, quod est Gloria & Honor in tua Deitate, sit, *Domine*, Gloria & Honor in tua Humanitate; & omne id, quod est amatum & volitum, possitum & scitum à tua Deitate, sit amatum & volitum, possitum & scitum à tua Humanitate;
quodnam

330 **B. Raym. Lulli Lib. Contempl.**
quodnam cor & quinam intellectus posset
sufficere ad imaginandum & æstimandum
Gloriam & dulcedinem & placitum, quæ
sunt in tua Humanitate?

30. Tuus servus, *Domine DEVS*,
corde devoto & oculis lacrymosis laudat &
benedicit tuam sanctam Deitatem & tuam
sanctam Humanitatem; quia tua sancta
Deitas dat Gloriam tuæ Humanitati, &
tua Humanitas dat Gloriam beatis paradi-
si, quia eos glorificat in tua gloriosa Dei-
tate.

CAPUTV XCIX.

QVOMODO BEATI PARADISI
glorientur in suamet beatitudine.

1. **D**EVUS gloriose! Tibi, *Domine*, cog-
noscatur omnis magnitudo & omnis
Nobilitas & omnis Sanctitas; quia voluisti,
quòd Sancti paradisi sentiant gloriam de
beatitudine, quam posuisti in eis; nam,
quando ipsi considerant se nihil fuisse, an-
tequam

tequam eos poneret in esse, & vident se esse, & sciunt se nunquam esse perdituros suum esse, tunc habent valde magnam gloriam ex hoc, quod cogitant & considerant.

2. Quando beati paradisi arbitrantur & æstimant magnum amorem & magnam gratiam, quam Tu, Domine, eis fecisti, quando eos deduxisti ad Gloriam paradisi, & eos custodivisti ab igne infernali, tunc sentiunt se totos gloriosos & beatos & plenos gratiâ & benedictione.

3. Quando Sancti paradisi, Domine, se vident amatos & honoratos à Te, & se sentiunt inamoratos de Te ex amore, quem vident Te erga eos habere, & ex amore, quem ipsi habent erga Te, oritur in eis adeò magnum placitum & adeò magnum gaudium & adeò magna gloria, quòd non posset ab homine comprehendere nec æstimari.

4. b. O Domine DEVS, in quo non est finis nec principium, Benedictus sis Tu & omne, quod à Te est; quia Gloria, quam beati

beati habent in paradiso per hoc, quòd sci-
ant suam beatitudinem & benedictionem
nunquam habituram esse finem, est adeò
magna, quòd non posset esse major, quo-
niam nulla gloria deficit illi, qui scit suam
beatitudinem esse sinè omni fine.

5. In paradiso, *Domine*, quando homi-
nes ibi erunt in corpore & anima, & vide-
bunt Angelos & Archangelos & Prophe-
tas & Martyres & Confessores & omnes
Sanctos paradisi ordinatos coram Te, & vi-
debunt se totos pulchros & splendidos &
totos mundatos ab omnibus peccatis, habe-
bunt tantam gloriam & complacentiam,
quòd non sit os, quod posset eam dicere,
nec cor, quod posset eam aestimare.

6. Quando homines erunt cum cor-
pore & anima in paradiso, *Domine*, & cog-
noscent se invicem, & solabuntur ad in-
vicem, & amabunt se invicem, tunc ha-
hebunt tantam gloriam & beneplacitum,
quòd mirabile esset dici & enarrari.

7. c. *Domine laudate, Domine amate,
Domine memorate!* Quando Sancti para-
disi

disi sentient se totaliter liberos, quin se videant obligatos ulli alteri rei, nisi ad laudandum & benedicendum & honorandum & amandum Te, & se sentient totaliter purificatos & mundatos, tunc habebunt omnem perfectionem & complementum gloriæ.

8. *O Domine DEVS!* Quàm magna erit Gloria, quam sancti paradisi sentient de verbis, quæ loquentur adinvicem, quando quilibet enarrabit alteri tuam Bonitatem & tuam Nobilitatem & tuam Justitiam & tuam Misericordiam, & quilibet enarrabit alteri hoc, quod fecit & dixit in hoc mundo? De istis placidis verbis, quæ habebunt inter se invicem, habebunt valde magnam complacentiam & valde magnam gloriam.

9. Quando beati, *Domine*, erunt in paradiso in corpore & anima, & audient cantus Angelorum & sui ipsorum, & considerabunt & percipient dulcedinem & concordantiam illorum cantuum & illarum vocum, & arbitrabuntur, & scient illos can-

tus

tus & illas voces nunquam debere cessare
& deficere, tunc habebunt inter se ipsos
tantam dulcedinem & tantam gloriam,
quòd non possent habere maiorem.

10. d. *O Domine DEVS, qui es ius-
tus Iudex in omnibus tuis judiciis, & qui es
fidelis in omnibus tuis operibus!* Omne bo-
num, quod beati paradisi in hoc mundo
fecerint pro tuo amore, memorabunt &
scient, & de illa memoria & scientia ha-
bebunt valde magnam gloriam & beatitu-
dinem.

11. Non solum habebunt sancti para-
disi gloriam de bonis, quæ fecerint in hoc
mundo, *Domine*, verum etiam de peccatis;
quia, quando memorabunt, quòd Tu eis
remiseris peccata, & nolueris eos punire
propter ipsa, de hoc habebunt valde mag-
nam gloriam.

12. De pœnis, quas peccatores susti-
nent in inferno, *Domine*, habent gloriam
sancti paradisi; quia per illas pœnas, quas
sciunt, quòd peccatores sustineant, cog-
noscunt magnam gloriam, quam possi-
dent.

13. *e.* *Misericors Domine, plene omni Pietate & omni Misericordia! Benedictus sis Tu, qui glorificabis Sanctos paradisi in sua agilitate; quia habebunt eam adeò magnam in se ipsis, quòd, quamprimum volent, erunt de una parte mundi in alia, & quoties volent esse in aliquo loco, statim erunt in eo, & per istam agilitatem adeò magnam sentient valde magnum placitum & valde magnam gloriam.*

14. *In hoc, quod sancti paradisi, Domine, sentient suam animam totam completam & perfectam, & non sentient in ea ullum defectum & indigentiam, habebunt gloriam & beatitudinem, quia scient suam animam pervenisse ad illud complementum & ad illam perfectionem, quam in hoc mundo desideraverunt.*

15. *O Domine! Quàm magnam gloriam sentient homines in paradiso, quando in eo erunt in corpore & anima in hoc, quòd sentient suum corpus non indigere cibo & potu nec ullo medicamine, ut sit sanum,*

sanum, imò habebit omne complementum, & erit exemptum ab omnibus miseriis & tribulationibus hujus miseri sæculi?

16. f. *Domine bone, Domine sancte, Domine virtuose!* Si sunt oculi, qui velint videre, & aures, quæ velint audire, & ora, quæ velint loqui, & corda hominum, quæ velint æstimare, veniant nunc, quia tantam gloriam, quantam beati possident in paradiso, non poterunt videre nec audire nec loqui nec æstimare.

17. Gloriam, quæ sit, *Domine*, sine fine, & quæ nullo tempore cesset nec minuat, & quæ sit tanta, quanta est gloria paradisi, nulli sensus corporales nec ullæ sensualitates possent sufficienter attingere & comprehendere nec terminare per visum nec per auditum nec per verba nec per arbitrationem.

18. Cùm tantam gloriam & tantum placitum & beatitudinem habeant, *Domine*, sancti paradisi, benedictus sit, qui eis gloriam dat, & benedicti sint, qui eam recipiunt & possident & gratificant & cognoscunt;

cunt; & benedicti sint dies, in quibus nati fuerunt.

19. g. *Domine DEVS, qui es adoratus & invocatus & memoratus & cultus!* Adeò magna est gloria paradisi, quòd beati, qui sunt in hoc mundo, ex ea glorientur.

20. Nam, quando habent in hoc mundo tribulationes & anxietates & labores, statim cogitant & contemplantur, *Domine*, in gloria alterius sæculi, & habent de illa tantam dulcedinem & beatitudinem, quòd nihil reputent miseriam hujus mundi.

21. Si anima hominis, dum est in hoc mundo, in quo est tanta poena & tanta tribulatio, habet, *Domine*, gloriam & placitum de gloria, quæ est in paradiso, quanta erit gloria, quam sentiunt beati, qui in eo sunt?

22. h. *Pie Domine, plene Misericordiâ & Gratiâ!* Satis infelices & miseri possunt reputari omnes, qui pro gloria hujus mundi perdiderunt gloriam alterius; quia non est, qui posset pejorem commutationem facere, quàm qui pro hoc mundo perdit alterum.

terum.

23. Cùm gloria alterius sæculi, *Domine*, non posset esse major nec melior, quàm sit, & gloria hujus mundi non posset esse vilior & miserior, quàm sit, nimis perdit, qui pro tam misera felicitate, sicut est ista, perdit tam gloriosam & mirabilem gloriam, sicut est illa.

24. Maxima stultitia & stupiditas, quæ possit esse, est, *Domine*, quando propter istam præsentem vitam homo contemnit & obliviscitur gloriam, quæ est sinè omni fine & sinè omni defectu.

25. i. *Æterne Domine*, perdurabilis, in quo non est ullus defectus! Adeò magnum complementum & magnam perfectionem habet gloria alterius sæculi, quòd, quantam homo velit, possit habere; & in omni tempore, quo sit in hoc mundo, possit perquirere, quomodo eam possit habere, & in quocunque loco sit, possit eam lucrari.

26. Non est ita, *Domine*, de gloria mundana, quia est adeò caduca & misera, quòd non possit sufficere omnibus, nec om-

nes,

nes, qui volunt, possint eam habere, nec ullus homo habeat tantam, quantam vult habere, nec ullus homo possit eam habere, in quocunque loco vult.

27. Ratione magnæ magnitudinis, quam habet gloria paradisi, *Domine*, est de sua natura, quòd sufficiat omnibus; & ratione magnæ parvitatís, quam habet gloria hujus mundi, est de sua natura, quòd deficiat omnibus; & quia ista gloria deficit omnibus, qui putat eam habere, habet multum laborem & multam pœnam.

28. K. *Patiens Domine, potens super omnes potestates, vigoroſe super omnes vires!* Sicut paradisus habet proprietatem & virtutem & naturam, quòd omnes, qui in eo sunt, glorificentur; ita iste mundus habet proprietatem & defectum & naturam, quòd omnes, qui in eo sunt, torqueantur & affligantur & malè tractentur.

29. Cùm hic mundus habeat talem proprietatem & naturam, *Domine*, quòd torqueat omnes, qui in eo volunt habere beatitudinem, tuus subditus & tuus capti-

340 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

vus renuntiat mundo totaliter, & non vult habere ejus gloriam & beatitudinem; & accipiat suam partem, quicumque velit.

30. Magno placito & magnâ satisfactione, *Domine DEVS*, Te laudo, & gratias Tibi ago, quia me fecisti cognoscere nobilitatem Gloriæ coelestis & vilitatem & miseriam gloriæ hujus mundi; & benedictus sis, *Domine*, qui mihi fecisti gratiam perducendi ad finem istam Distinctionem, quæ est perfecta per tuum Auxilium divinum.

DISTINCT.



DISTINCT. XXII.

DE PERFECTIONE NOSTRI Domini DEI.

CAPUT C.

QVOMODO NOSTER DOMINVS
DEVS sit perfectus in sua Essentia
divina.

1.
2.



DEVS gloriose, perfecte
in omnibus perfectionibus!
Tuæ sanctæ Perfectioni,
Domine, sit gloria & ho-
nor omni tempore, quæ
demonstratur & mani-

festatur in tua Æternitate; quia *esse*, quod
est sine principio & sine fine, significat
habere Perfectionem in se, cum privatio
ipsius *esse* significet defectum.

2. Cum Tu, Domine DEVS, sis so-
lus sine pari & socio, & nulla res, quæ est
in

in *esse*, habeat virtutes & qualitates similes tuis; ideo demonstratur & manifestatur, quòd habeas omnem Perfectionem, & in Te nullus sit defectus.

3. Tua Perfectio, *Domine DEVS*, laudetur & benedicatur, quæ demonstratur in Te ratione tuæ sanctæ Trinitatis; quia ratione Personæ Patris intelligimus tuam Potestatem esse perfectam, & ratione Personæ Filii intelligimus tuam Sapientiam esse perfectam, & ratione Personæ sancti Spiritus intelligimus tuum benignum Amorem esse plenum omni perfectione.

4. b. *Domine vere DEVS, qui custodis & defendis beatos à falsitatibus & ab erroribus hujus mundi*! In quibuscunque modis & viis homo possit cogitare & æstimare tuum gloriosum esse, Te percipit totum virtuosum & perfectum sinè omni defectu.

6. Antequam tempus esset in *esse*, *Domine*, jam eras totus perfectus; quia nulla res erat, de qua Tibi veniret ullus defectus; & nunc, quando tempus est in *esse*, es

totus

totus perfectus; quia nulla res est, quæ possit repugnare tuæ Perfectioni, cum sis potens super omnes res; & quando tempus non erit in *esse*, etiam eris totus perfectus, quia nulla res poterit repugnare tuæ Voluntati.

5. Nulla perfectio, *Domine DEVS*, debet laudari & benedici respectu tuæ; quia tua non est in Te ab ulla alia re, nisi à tuamet Bonitate, & omnes aliæ perfectiones veniunt & derivantur à Perfectione, quæ est in Te.

7. c. *O Domine sapiens, misericors, pie, Creator & Salvator noster!* Ut tua Perfectio cognosceretur, est datum *esse* creaturis, & principalior causa, propter quam ipsæ sunt creatæ, est, ut cognoscant tuam Bonitatem; veruntamen, licet creaturæ sint ad cognoscendum tuam Perfectionem, tamen non sufficiunt ad cognoscendum totam ipsam; & hoc est, quia res creata non habet potestatem cognoscendi totum bonum, quod est in suo Creatore.

8. Cum nulla creatura, *Domine*, possit

fit sufficere ad intelligendum & cognoscendum totam Perfectionem, quæ est in Te, quamvis ipsæ sint creatæ ad cognoscendum ipsam, per hoc tamen non demonstratur tuum Opus habere ullum defectum, imò demonstratur perfectius.

9. Quia nostra cognitio est terminata, *Domine*, ideo deficit in cognoscendo perfectionem, quæ non est terminata, imò est sinè omni termino & sinè omni fine, cum sit impossibile rem infinitam posse totam comprehendere à re finita.

10. d. *Patiens Domine, humilis & dulcis & simplex & suavis!* Qui habet potestatem super omnia possibilia & voluntatem super omnia volibilia, & vult, quidquid convenit esse volitum, & potest, quidquid est dignum esse possum, necessario oportet, quod sit totus perfectus.

11. Qui est primus & ultimus, & est Creator & Benefactor omnium rerum, & possidet sub se omnes creaturas, & qui habet in se omnem perfectionem virtutum, necessario oportet, *Domine*, quod sit completus

pletus & perfectus in omnibus bonis, quia ex nulla parte potest ad eum accedere ullus defectus.

12. Cúm per omnia ista & per multa alia significetur nobis, *Domine*, tuum Complementum & tua gloriosa Perfectio, magnam rationem habemus, ut in quantum possumus, Te amemus & honoremus & laudemus & Tibi gratias agamus propter magna bona, quæ nobis veniunt à tua Perfectione.

13. e. *O Sapiens Domine, liberalis, plene omnibus instructionibus & omnibus affabilitatibus!* Quia noster intellectus & nostræ vires non possunt sufficere ad laudandum nec ad amandum Te, nec ad contemplandum in Te secundum tuam Perfectionem; propterea non est, qui possit tantum Te amare & honorare & Tibi servire, quantum mereris.

14. Defectus, quem habemus, *Domine*, in amando & honorando Te, & in serviendo Tibi secundum quod pertinet ad tuam Perfectionem, non est in nobis ex parte

parte Tui, imò est in nobis ex parte nostri ipsorum, qui sumus res adeò imæ & parvæ, quòd nihil possit nos æquare tuæ Perfectioni & tuo Complemento: adeò altus es.

15. Sanctitas & benedictio, *Domine*, tribuatur tuæ Perfectioni; quia, sicut in Te non est defectus, quamvis non possimus Te intelligere adeò perfectum, sicut es, ita tua Perfectio non crescit nec melioratur, quamvis Te amemus & honoremus & laudemus.

16. f. *O Domine DEVS, in quo est tota nostra vita & totum nostrum remedium & totum nostrum bonum!* Sicut tuæ Essentiæ est proprium esse divinam & infinitam & æternam, ita est ei proprium esse perfectam.

17. Si tuo beato *Esse, Domine DEVS*, est propria res perfectio, nobis est propria & naturalis res defectus & fragilitas & miseria: igitur, cum Tu sis perfectus & completus in omnibus bonis, & nos habeamus omnes defectus, quomodo potest esse, quòd cogitemus & memoremus nosmet ipsos plùs, quàm Te?

18. De majoribus mirabilibus, quæ possint esse, est, *Domine*, quòd intendamus honorare & amare nosmet ipsos plùs, quàm Te, cùm ita sit, quòd Tu sis perfectus, & nos simus defectuosi; quia ratione tuæ Perfectionis & ratione nostri defectus Tu es dignus amari & laudari & memorari, & nos sumus digni haberi in oblivione & contemptu.

19. g. *O Domine vere DEVS*, qui Te humilias omnibus, qui Te invocant & adorant & benedicunt ! Quia omnia, excepto Te, habent principium, meliùs demonstratur Perfectio, quæ est in Te; nam, si essent Angeli & homines, qui æternaliter sinè principio Te adorarent & laudarent, non esses adeò perfectus, sicut es nunc; quia non esses supra ipsos in duratione & æternitate.

20. Si Tu, *Domine DEVS*, posses creare unum DEUM similem Tibi, non esses adeò completus & perfectus, sicut es nunc, quando non potes facere DEUM æqualem tuæ Deitati; & hoc est ratione
tuæ

tuæ Perfectionis, quæ est adeò perfecta & abundans omnibus bonis, quòd impossibile sit aliam rem posse habere tantam perfectionem, quantam Tu habes.

21. Ratione tuæ magnæ Perfectionis evenit, *Domine*, quòd tuum *Esse* divinum non possit recipere ullam mutationem nec ullam alterationem; quia nulla res, quæ habeat infinitam perfectionem, potest habere in suo statu ullam mutationem vel alterationem: igitur, quia ego, *Domine*, sum plenus defectibus, ideo potest meus status mutari & alterari crescendo vel minuendo in perfectionibus & in defectibus.

22. h. *Domine honorate, Domine laudate, Domine, in quo perficiuntur & complentur omnia mea desideria & omnes meæ spes!* Qui vult percipere tuam magnam Perfectionem, aspiciat & attendat, quomodo omnia, quæcunque sunt creata & facta, indigeant Te in omnibus rebus & in toto tempore, in quo sunt, & videat, quàm parùm Tu indigeas omnibus rebus creatis & factis.

23. Sicut est improprium rei defectuo-

ſæ ascendere ad Perfectionem ratione ſui defectus, ita, *Domine*, eſt proprium tuæ Perfectioni dare nobis perfectionem & complementum approximando nos ad ſe ipſam.

24. *O glorioſe Rex Gloria!* Quoniam ita eſt, quòd ſis tota noſtra Perfectio, & ego ſim res fragilis & miſera & captiva, placeat Tibi, *Domine*, ut de tua glorioſa Perfectione mihi veniat gratia & benedictio, quousque recipiam veram vitam in gloria de tuis gratioſis donis.

25. i. *O Domine, qui es fidelis Amator, & qui es totus meus amor, & qui das meis oculis ploratus & meo cordi deſideria!* Quoniam vides & ſcis meos defectus eſſe mihi cauſam obliviscendi Tui & inobediendi Tibi, peto à Te gratiam, *Domine*, ut tuæ Perfectiones & tuæ Virtutes ſint mihi cauſa fideliter amandi, & verè ſerviendi Tibi; „& placeat Tibi, quòd ego poſſim mori „ad dandum laudem de tua honorata Perfectione.

26. *O Domine DEVS!* Si à magnis flu-

fluminibus exeunt & derivantur torrentes
& rivi, similiter exit & derivatur à tua
Perfectione omne complementum & omnis
perfectio, quæ est in nobis: igitur placeat
tuæ Perfectioni non habere vacuum nec in-
digentem gratiâ tuum servum & tuum be-
nevolum.

27. Adeò tuus subditus & tuus capti-
vus & tuus homo est egenus, *Domine*, &
adeò indiget recipere gratiam & bene-
dictionem à tua Perfectione, quòd omni
die à Te petat, ut ei des; & omni die eum
exaudis & ei das, & non das ei tantum,
quòd non sit ei necessarium ultra petere,
ut plus des.

28. K. *O Domine bone! O Domine mise-
ricors! O Domine liber, plene gratiâ!* Sicut
est proprium tuæ Perfectioni dare & facere
gratias & remissiones perfectè, ita est pro-
prium nobis ratione nostrorum defectuum
petere adjutorium & succursum à Te, qui
es totum nostrum bonum & tota nostra
salus.

29. Benedicta sit, *Domine DEVS,*
tua

tua Perfectio & omne, quod à Te est; quia proprium est ei dare perfectionem rei, postquam dedit ei principium; & ratione istius proprietatis, quam ego scio in Te, ausus sum intrare in adeò magnum Opus, sicut est iste *Liber Contemplationis*.

30. „Nisi ego, *Domine*, in Te scirem
„tantam Perfectionem, non aggressus es-
„sem principium hujus Libri, quod mihi
„dedisti, quia est mihi nimis grave & one-
„rosus Opus; sed, quia confido in tua Per-
„fectione, ideo audeo progredi omnibus
„meis viribus in isto Opere, quod est *Ars*
„*Contemplationis in nostrum Dominum*
„*DEVM*.

CAPUT CI.

QVOMODO NOSTER DOMINVS

DEVS sit perfectus in omnibus suis
Operibus.

1. **J**ESV *Christe Domine!* Tibi detur glo-
- a. ria & laus omni tempore, & bene-
dicta

dicta sint omnia opera, quæ fecisti in hoc mundo; quia quidquid fecisti, in quantum es *DEUS*, est perfectum & completum opus, & quidquid fecit tua Humanitas, est perfectum & completum sinè ullo defectu.

2. Unde, cùm tua gloriosa *Essentia*, *Domine DEVS*, sit perfecta in omnibus rebus, necessariò convenit, quòd omnia tua opera sint perfecta & completa in omnibus bonis; quia non est ulla res illarum, quas facis, ex qua posset devenire defectus & diminutio tuæ sanctæ *Essentiæ*.

3. Si omnia opera tuæ *Deitatis* oportet, *Domine*, esse perfecta, idem est de operibus tuæ *Humanitatis*; & hoc est ratione conjunctionis ipsius cum *Deitate*, per quam conjunctionem est tanta virtus in tua *Humanitate*, quòd quidquid ipsa fecit & dixit in hoc mundo, oporteat esse completum & perfectum.

4. b. *O Rex Regum! O Domine Dominorum! O Princeps Principum!* Si pluvia est complementum & abundantia herbis siti-
entibus

entibus super terram, quando venit opportuno tempore, similiter tua operatio est complementum & perfectio omnibus rebus, quæcunque sunt creatæ & factæ, quin deficiat in ulla creaturarum.

5. Sicut ratione magnæ Bonitatis, quæ est in tua Deitate, *Domine*, oportet omnia tua opera pervenire ad perfectionem, ita ratione magnæ Bonitatis tuæ Humanitatis oportet omnia opera, quæ sunt ex parte ipsius, pervenire ad tantam perfectionem, quòd ultra eam non possit esse alia major & virtuosior.

6. Sicut omnia tua opera, *Domine DEVS*, veniunt ad perfectionem ratione magnæ Bonitatis, quæ est in Te, ita omnia opera, quæ ego feci intuitu mei amoris & honoris, venerunt ad defectum.

7. c. *Domine vere DEVS*, qui per lacrymas & ploratus & veras contritiones Te humilias ad remissiones! Omnia tua Opera sunt perfecta ratione intentionis, quam habes in omnibus eis; nam, quia operaris, ut videaris bonus, & ut sis amatus &

volitus & laudatus ; propterea dignum & justum est omnia tua Opera venire ad perfectionem.

8. Ratio, quare dignum & justum est, quòd opera, quæ peccatores faciunt in hoc mundo, non veniant ad perfectionem , est, *Domine*, intentio, quâ operantur; nam, quoniam ipsi faciunt id, quod faciunt, ut laudentur & honorentur, & habeant delectationes temporales in hoc mundo, est valde rationabile, quòd sua opera non veniant ad perfectionem, quia sua intentio est in defectu.

9. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*, à quo veniunt omnes perfectiones & omnia complementa, & nos simus vilipensi & reprehensi, quia putamus, quòd nostra opera veniant ad perfectionem, & veniunt ad defectum; &, quando putamus, quòd per ipsa videamur perfecti, demonstramur defectuosi & pleni peccato.

10. d. *Domine vere DEVS*, qui inspirasti sanctos Prophetas in via Veritatis, & illuminasti beatos Apostolos in diversis linguis.

Non

Non adeò respicit homo dispositionem creaturarum, quòd possit in eis percipere ullum defectum ex parte Tui; quia nemo posset cogitare nec æstimare, quomodo ipsæ possent melius creari, quàm creatæ sunt.

11. Qui respicit, *Domine*, ordinationem & dispositionem, in qua posuisti hominem ad lucrandum meritum gloriæ vel meritum pœnæ, non potest in ea invenire meliorationem, nec potest intelligere in ea ullum defectum ex parte Tui.

12. Qui bene velit considerare & æstimare, *Domine*, ordinationem gloriæ paradisi & dispositionem pœnæ inferni, & velit cogitare, quomodo per gloriam paradisi demonstraretur tua Bonitas & tua Misericordia, & per pœnam inferni tua Justitia & tuum Dominium, & velit respicere, quomodo per gloriam paradisi cognoscatur pœna infernalis, & per pœnam infernalem gloria paradisi, non poterit invenire nisi perfectionem tui Operis.

13. c. O *Domine DEVS*, qui es altus

Do-

Dominus super omnes altitudines, & sapiens super omnes sapientias ! Sicut sensus corporales deficiunt ad progrediendum ultra terminum, intra quem sunt terminati, ita sensus spirituales deficiunt ad attingendum & percipiendum omnem perfectionem & complementum tui Operis.

14. Tot sunt, *Domine*, tua opera & adeò diversa, & adeò magna est perfectio, quæ est in eis, quòd non sit sensus nec intellectus hominis, qui possit sufficere ad ascendendum ad altitudines & nobilitates & perfectiones ipsorum.

15. Sicut homo non habens oculos habet aliquam cognitionem de diversitatibus figurarum, quas palpat, & illam cognitionem habet ratione suæ palpationis; ita, *Domine*, nos intelligimus in parte perfectionem, quæ est in tuis operibus; sed sicut homo non habens oculos non potest percipere diversitates colorum, quia non habet oculos, ita nos non possumus percipere omnia bona & omnes perfectiones tuorum operum, quia nostra cognitio est terminata in eis.

eis.

16. f. *Amorose Domine, qui inamoraſti me de tuo Amore & de tua Voluntate* ! Si homo non poteſt ſufficere ad attingendum & intelligendum omnes defectus, qui ſunt in operibus hominum peccatorum plenorum defectibus : igitur impoſſibile eſt, quòd poſſit attingere omnem perfectionem tuorum operum venientium à tua Perfectione.

17. Multoties inquiſivi, *Domine*, per vicos & plateas & per alia loca, an poſſem invenire & videre ullam rem, quam homo fecerit, quæ ſit perfecta, & non tantum quæſivi, quòd potuerim eam invenire; & ſi illam quæro omnibus meis ſenſualitatibus & intellectualitatibus, adhuc mihi non ſufficiunt ad inveniendum eam.

18. Ratio, quare omnia tua opera, *Domine DEVS*, ſunt perfecta, eſt, quia Tu es ſolus & omnipotens, & non eſt, qui poſſit reſiſtere tuæ Voluntati; & propterea das perfectionem omni, cui vis; ſed non eſt ita de nobis; nam, quia ſumus multi &
ha-

habemus differentes voluntates, & non habemus potestatem nec scientiam perfectam, propterea nostra opera non possunt esse perfecta.

19. g. *O misericors Domine, plene dulcedine & pietate!* Quoniam Tu habes Potestatem dandi complementum & perfectionem omnibus rebus, „ & iste *Liber Contemplationis* est ad dandum laudem de tua „ Bonitate & de tua Perfectione, peto à „ Te gratiam, *Domine*, ut ipsum adducas ad „ perfectionem, quia ego non possem eum „ perficere sinè tuo auxilio; cùm meo corpori deficiant sanitas & potestas, & meæ „ animæ intelligentia & scientia ad inveni- „ endum novas rationes & nova dictamina „ ad complendum ipsum.

20. „ Si Tibi placeat, *Domine*, dare „ perfectionem isti Operi, quod est *Ars Contemplationis*, precor Te, ut istum Librum „ facias venire in diversas partes & in diversa loca, ut Catholici & homines Religiosi contemplentur in Te secundum Ar- „ tem & modum hujus Operis.

21. *Omnes illi, ad quos iste Liber perveniet, Domine, dummodo diligenter velint contemplari in eo, poterunt cognoscere & percipere tuam Bonitatem & suam fragilitatem; & quilibet poterit cognoscere, quenam lex sit vera, & poterit inamorare suam animam, ut veniat ad Martyrium pro tuo Amore: igitur, cum iste Liber sit occasio adeo magni boni, placeat Tibi ei dare perfectionem & ipsum remittere ad diversa loca.*

22. h. *Domine gloriose, qui salvas & defendis tuos amicos & tuos benevolos ab omnibus malis! Nisi Tu esses in esse, ego non essem: igitur quoniam tuum gloriosum Esse est causa mei esse, peto à Te gratiam, ut adducas ad perfectionem omnia mea verba & omnia mea dictamina & omnia mea desideria.*

23. *Si ita sit, Domine, quod tua perfectio sit perfectio omnium meorum verborum & omnium meorum dictaminum & omnium meorum desideriorum, sequetur, quod tota mea voluntas & tota mea potestas & omnes meae vires & omnis mea intentio erunt.*

360 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
erunt in dando laudem de tua Perfectione,
à qua omnia mea opera accipient perfec-
tionem.

24. Si meæ preces & petitiones non
sunt perfectæ in precando & petendo à Te,
Domine, Tibi, qui perficis omnia, placeat
eas acceptare, sicut si essent perfectæ; nam,
quoniam ego facio, quod possum in pre-
cando Te & petendo à Te, in tantum de-
bet suscipi, sicut si perfectè precarer & pe-
terem.

25. i. *Domine vere DEVS, qui amas & il-
luminas & salvas omnes illos, qui Te amant!*,
„Cum tuus servus peragraverit multa loca
„plana & montuosa, & multa loca deserta
„& populata, & multas aquas dulces &
„salvas, & multoties viderit opera Regum
„& aliorum Baronum, plùs laudari & me-
„morari, quàm tua, valde miratus est.

26. Nam valde miror, *Domine*, quòd
plures homines sint laudatores & memora-
tores operum plenorum defectibus & veni-
entium à defectibus, quàm operum perfec-
torum & sumentium perfectionem in tua

Per-

Perfectione & Bonitate.

27. Qui laudant honoratos homines in rebus, in quibus eos vident bonos, etiam deberent ipsos vituperare in rebus, in quibus vident eos defectuosos & vitiosos; sed ipsi, *Domine*, hoc non faciunt, & omittunt laudare tua opera, in quibus non est ullus defectus nec ulla diminutio.

28. K. O *Domine DEVS*, in quo est omnis Fortitudo & omnis Virtus & omnis Veritas & omnis Benedictio! Si ita esset, quod opera, quæ homines faciunt, essent æquè perfecta sicut tua, non esset mirum, si multum laudarentur, sed cum homo videat tua opera esse perfectiora omnibus aliis, propterea debet nobilius ipsa laudare, quam omnia alia.

29. Quia tua opera, *Domine*, sunt omnia in perfectione, propterea quod plus homo ea laudat, eo plus accedit ad perfectionem, & recedit à defectu; sed non est ita de nostris operibus; nam, quia omnia ipsa sunt in defectu, propterea, quod plus homo ea laudat, eo plus recedit à perfectione & accedit

362 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
cedit ad defectum.

30. Cum tua opera, *Domine DEVS*,
sint omnia perfecta sine ullo defectu, &
nostra sint omnia defectuosa, nolo laudare
ulla alia, nisi tua, & me do & offero ad lau-
dandum Perfectionem, quæ est in omnibus
operibus factis & ordinatis à tua Essentia
divina.

CAPUT CII.

QVOMODO OMNIS NOSTRA
perfectio sit in Perfectione nostri Domini
DEI.

1. **O** *DEVS* gloriose, *honorate super om-*
a. *nes honorationes, potens super om-*
nes potestates! Tu es omnis nostra perfec-
tio, quia Tu, *Domine*, nos creasti & nos
vivificas & nos sustines & nobis das omnia
necessaria in hoc sæculo & in altero.

2. Sicut privationi est improprium esse,
ita, *Domine*, est improprium nobis posse re-
cipere perfectionem ab ulla alia re, nisi à
Te:

Te: unde benedictus sis, *Domine DEVS*, quia, sicut vacuitas non potest inveniri in re plena, ita nostrum complementum non potest inveniri in ulla alia re, nisi in tua Perfectione.

3. Si nos simus tristes & desolati & irati, Tu, *Domine*, nos lætificas & dirigis & consolaris & placas & inamoras, & Tu nobis succurris & nos adjuvas in omnibus nostris defectibus & in omnibus nostris necessitatibus.

4. b. *O liberalis Domine, virtuose, plene omnibus Bonitatibus & omnibus Perfectionibus!* Benedictus sis Tu, qui es adeo perfectus in Te ipso, quod tua Perfectio sit nobis tanquam fons vivus, in quo satiantur omnes bibentes ex eo.

5. Omnes, qui sunt infirmi & contracti & pauperes & ignorantes & malè se habentes propter defectus hujus mundi, *Domine*, possunt invenire sanitatem & integritatem & vitam & divitias & scientiam in tua gloriosa Perfectione, & nullius rei, quæ sit ad bonum & utilitatem sui corporis & suæ

suæ animæ, in Te invenient defectum.

6. Omnium bonorum & omnium virtutum, quorum & quarum est in nobis, *Domine*, indigentia, est in Te adeò magna abundantia, quòd non posset esse major; quàm sit.

7. c. *O Domine DEVS, qui es vera Lux & verus Splendor, à quo recipiunt lucem & splendorem omnes aliæ luces & omnes alii splendores!* Nos putamus venire ad perfectionem per habere divitias & sanitatem corporis & per habere corporalem fortitudinem & pulchritudinem; & quando putamus habere perfectionem per istas res, invenimus nos plenos defectibus, quia omnes sunt plenæ defectibus.

8. Et ideo, *Domine*, omnes invenimus nos deceptos in rebus corporalibus; quia, quòd plures earum congregamus & posidemus, eò plures defectus habemus; nam quoniam ipsæ non sunt sinè defectibus, quòd plures homo habet, eò plùs est propinquus & conjunctus defectibus.

9. Igitur stultus est, *Domine*, qui putat

tat invenire perfectionem in divitiis, quia mors eas aufert; & stultus est, qui putat invenire perfectionem in pulchritudine & fortitudine corporis, quia infirmitas eas destruit & debilitat; & stultus est, qui putat invenire perfectionem & felicitatem in vana gloria & delectatione hujus mundi, quia plus poenæ & miseriæ est in eis, quam felicitatis & gloriæ.

10. d. *Domine vere DEVS, quies virtuosus super omnes virtutes & bonus super omnes bonitates!* Qui est inquisitor plenitudinis & perfectionis, inquirat eas in Te & non in ulla alia re; quia, quoties eas inquireret in Te, poterit eas invenire, & non inquireret tantum in alia re, quod possit eas invenire.

11. Quotiescunque putamus accipere plenitudinem & perfectionem ab ulla alia re nisi à Te, *Domine*, toties cadimus in defectum & indigentiam, & sumus similes illi, qui quærit ignem in aqua & aquam in igne.

12. Qui vult plenitudinem benedictionis

tionis & gratiæ, veniat ad inquirendum eam in Te; quia in Te inveniet omnem plenitudinem & perfectionem; & qui vult esse pauper & miser & infelix, inquiret suum bonum & suam utilitatem, ubi non est, & ubi est suum malum & sua destructio.

13. e. O Domine DEVS, qui cooperis & vestis gratiâ & benedictione omnes, quos vis! Sicut est improprium & contra naturam; quòd à privatione possit derivari & exire plenitudo & perfectio, ita est proprium & secundum rationem & naturam, quòd à tua Perfectione veniat perfectio & plenitudo omnibus nobis.

14. De nulla re, quæ habeat principium & finem, potest venire complementum & perfectio; cum nulla res, in qua sit defectus, possit esse causa perfectionis & complementi: igitur, cum Tu, Domine, sis infinitus & æternus, oportet Te esse causam nostræ perfectionis & nostri boni & nostræ salutis.

15. Si Tu, Domine DEVS, es perfectio

tio & complementum omnium nostrum ratione tuarum honorificentiarum & tuarum nobilitatum, nos sumus deficientes & pauperes & miseri ratione nostræ pauperis potestatis & nostræ magnæ miseriæ & fragilitatis: igitur ratione hujus oportet, quod nostrum bonum & nostram restaurationem in Te inquiramus & à Te petamus & à Te speremus.

16. f. *Cælestis Domine, in quo est Trinitas Personarum, & Vnitas Essentie*; Si nos recipimus perfectionem à Te latando in tuis Virtutibus & in tuis Perfectionibus, etiam possumus eam recipere plorando nostra peccata & nostros defectus, & confitendo nostras culpas: unde benedicta sit talis Perfectio, qualis est tua, quia omnibus modis potest homo recipere perfectionem à Te, & in Te.

17. Cùm nostra perfectio, *Domine DEVS*, non sit in ulla alia re, nisi in Te, nullatenus possumus eam invenire inquirendo extra Te, sive inquiramus per viam lætitiæ, sive per viam tristiitiæ; sed in Te

om-

omnibus modis & omnibus viis invenit
homo esse nostram perfectionem.

18. Et ideo, *Domine*, tuus subditus &
tuus servus lætando, contemplando, aman-
do & desiderando quærit in Te suum com-
plementum, & suam perfectionem, & ocu-
lis lacrymosis & corde pœnitente suorum
gravium peccatorum & suorum mortali-
um defectuum Te orat & precatur, ne sis
ei absens, quia in alio non est suum bonum
& sua salus, nisi in Te.

19. g. *O Domine vere DEVS, in quo in-
veniunt remedium & requiem omnes sancti
& sancta paradisi*. Sicut tua Deitas est per-
fectio omnium nostrum ratione magnæ Bo-
nitatis, quæ est in Te, ita sancta Humani-
tas, quam assumpsisti in nostra Domina
sancta MARIA, est perfectio & comple-
mentum omnium nostrum.

20. Adeò magnam honorationem &
exaltationem recepit, *Domine DEVS*, tua
Humanitas per conjunctionem Deitatis,
quòd omnes nos inde fuerimus exaltati &
elevati, & quò plus ipsa fuit honorata &

nobilitata, eò plús fuimus perfecti & nobilitati per eam.

21. Quia conjunctio tuæ Deitatis & tuæ Humanitatis, *Domine DEVS*, non habet finem, nobilitas & perfectio, quam recipimus à tua Humanitate, est majoris dignitatis & majoris nobilitatis, quam esset, si conjunctio tuæ Deitatis & tuæ Humanitatis haberet finem.

22. h. *Pie Domine, misericors, plene gratiâ & indulgentiis*: Quoties meæ considerationes & meæ recordationes & mea desideria sunt extra Te, toties invenio meam animam vacuum & vanam & plenam defectibus; & quamprimùm verto meam considerationem & meam memoriam ad tuas Perfectiones, eam invenio plenam & completam in ipsis.

23. Quid prodest homini cogitare & respicere viridaria & flores & ripas & prata & villas & castella & alias pulchritudines? nam quantumcunque homo, *Domine*, cogitet & respiciat istas res, non poterit invenire, nisi indigentias & defectus & fragili-

370 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
tates & misérias.

24. Sicut gallina frustra volvit & revolvit paleas in quibus nullum est granum, ita, *Domine*, frustra laborat, qui inquit perfectionem & complementum in alia re, nisi in Te; quia in omni alia re sunt manifesti defectus, si bene perpendatur; & in Te est tanta Perfectio, quòd sufficiat omnibus nostris necessitatibus.

25. i. *Gloriose Domine, qui es potens salvare omnes, quos Tibi placet salvare!* Quid valet homini vani-glorioso velle demonstrare perfectionem in suis verbis & in suis operibus & in suis pulchritudinibus & in suis divitiis? quoniam, quòd plùs putat demonstrare se nobilem & perfectum, eò plùs monstrat se vilem & plenum defectibus, cum in omni, quod facit, sit defectus.

26. *Amorose Domine, plene Veritate & Gratiâ!* Sicut per magnam siccitatem exsiccantur fontes & paludes, & moriuntur herbe, ita per perfectionem, quam inquirimus in nobis ipsis, crescunt & multiplicantur in nobis nostri defectus; sed sicut per magnam
abun-

abundantiam pluviae implentur paludes & fontes & torrentes, ita per hoc, quod inquiramus nostras perfectiones in Te, omnes nostri defectus vertuntur in perfectiones.

27. *O Domine!* Beati sunt omnes, qui suam plenitudinem & perfectionem inquirunt in Te & petunt à Te; quia ibi eas inquirunt, ubi possunt eas invenire; & miseri sunt omnes, qui ab alio putant habere ullum bonum & ullam benedictionem; quia nunquam habebunt id, quod volunt, nec habebunt, à quo recipiant ullum bonum & perfectionem.

28. K. *Fortis Domine super omnes fortitudines, vigoroſe super omnes potestates!* Nullus homo, *Domine*, potest dare perfectionem rei, quam incipit, nisi habeat voluntatem & potestatem & scientiam; quia nullum bonum opus venit ad utilitatem & perfectionem sine istis tribus rebus.

29. Cum per tuam gratiam, *Domine DEVS*, inceperimus istam *Artem Contemplationis*, & per tuam Potestatem & per tuam

372 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

am Sapientiam & per tuam Voluntatem
perfecerimus *secundum Librum & primum*
Volumen, peto à Te gratiam, ut Tibi pla-
ceat dare perfectionem & complementum
aliis Libris & aliis Voluminibus.

30. Tibi, Domine DEVS, sint laus &
gloria & gratiarum actiones, qui dedisti
tale complementum & talem perfectionem
huic *Arti Contemplationis*, „quòd ipsa sit
„sufficiens sapientibus & ignorantibus, Re-
„ligiosis & secularibus, divitibus & pau-
„peribus, ut quilibet possit contemplari se-
„cundum suum modum & dispositionem
„per istum Librum in tua gloriosa Essentia
„divina.

PERFECTUM EST PRIMUM
VOLUMEN LIBRI CONTEM-
PLATIONIS AD GLORIAM
ET LAUDEM NOSTRI
DOMINI DEI.

INDEX

TITULORUM TOMI III.

VOLV MEN I

LIBER II.

DISTINCTIO XIV.

De divino Dominio.

CAP. 66. Quomodo sit conveniens & rationabile nostrum Dominum DEUM esse Supremum Dominum per exaltationem Nobilitatis fol. 1.

67. Quomodo DEUS mereatur habere dominium, quia est Benefactor. 11.

68. Quomodo DEUS mereatur esse noster Dominus, quia nos redemit. 20.

DIS-

INDEX. DISTINCTIO XV.

De divina Sapientia.

- CAP. 69.** Quomodo DEUS sit sapiens
in sua Essentia. fol. 31.
70. Quomodo DEUS sit sapiens in
omni eo, quod facit. 41.
71. Quomodo Sapientia DEI extra-
hat de malo bonum. 51.

DISTINCTIO XVI.

De divina Justitia.

72. Quomodo noster Dominus DEUS
sit justus in se ipso. 63.
73. Quomodo DEUS sit justus in An-
gelis & in dæmonibus. 72.
74. Quomodo DEUS sit justus in ho-
minibus divitibus, & in pauperi-
bus. 81.
75. Quomodo DEUS sit justus inter
hominem injuriantem & hominem
in-

INDEX:

375

injuriatum.

fol. 91.

CAP. 76. Quomodo noster Dominus
DEUS sit justus inter hominem
justum, & hominem peccato-
rem. 100.

77. Quomodo DEUS sit justus in
hominibus Catholicis & in infide-
libus. 110.

DISTINCTIO XVII.

De Largitate nostri Domini DEI.

78. Quomodo noster Dominus DEUS
sit largus erga omnes creaturas. 122.

79. Quomodo noster Dñs DEUS sit
largus erga hominem, quia dedit
eis esse humanum. 130.

80. Quomodo noster Dominus DEUS
sit largus, quia dat hominibus bona
temporalia. 139.

81. Quomodo noster Dominus JE-
SUS Christus fuerit largus de sua
benedicta Humanitate. 148.

82. Quo-

CAP. 82. Quomodo noster Dominus
DEUS sit largus ratione magno-
rum donorum, quæ dat in para-
diso. fol. 157.

DISTINCTIO XVIII.

*De Adjutorio, quod noster Dominus DEVS
facit hominibus.*

83. Quomodo noster Dominus DE-
US adjuvet omnes illos, qui pro ejus
amore laborant. 167.
84. Quomodo noster Dominus DEUS
adjuvet homines libenter facientes
eleemosynam pro amore sui. 177.
85. Quomodo noster Dominus DE-
US adjuvet homines justos à suis
mortalibus inimicis. 187.
86. Quomodo noster Dominus DE-
US adjuvet omnes illos, qui faciunt
pœnitentiam. 197.

DIS-

INDEX.
DISTINCTIO XIX.

377

*De Humilitate, quæ est in nostro Domino
DEO.*

CAP. 87. Quomodo noster Dominus
DEUS se humiliaverit, quando as-
sumpsit humanam carnem. fol. 207.

88. Quomodo noster Dominus DE-
US fuerit humilis in hoc mundo in
omnibus suis operibus. 217.

89. Quomodo noster Dominus JESUS
Christus fuerit humilis in omnibus
suis verbis. 226.

90. Quomodo noster Dominus JESUS
Christus fuerit humilis in sua sanc-
ta Passione. 236.

91. Quomodo noster Dominus DEUS
se humiliet homini per opera sacri-
ficii. 247.

92. Quomodo noster Dominus DEUS
se humiliet orationi hominum. 257.

B b

DIS-

INDEX DISTINCTIO XX.

De magna Misericordia divina.

- CAP. 93. Quomodo noster Dominus DEUS sit misericors ratione suæ magnæ Bonitatis. fol. 268.
94. Quomodo noster Dominus DEUS sit misericors ratione precum, quæ ei fiunt. 278.
95. Quomodo noster Dominus DEUS sit misericors ratione nostrarum magnarum necessitatum. 288.
96. Quomodo noster Dominus DEUS sit misericors erga omnes illos, qui in sua Misericordia confidunt. 297.

DISTINCTIO XXI.

De Gloria paradisi.

97. Quomodo homo glorificetur in divina Essentia. 309.
98. Quomodo homines iusti in paradiso

INDEX.

379

diso glorificabuntur in Humanitate
nostri Domini DEI JESU Chris-
ti. fol. 319.

CAP. 99. Quomodo Beati paradisi glo-
rientur in suamet beatitudine. 330.

DISTINCTIO XXII.

De Perfectione nostri Domini DEI.

100. Quomodo noster Dominus DE-
US sit perfectus in sua Essentia di-
vina. 341.

101. Quomodo noster Dominus DE-
US sit perfectus in omnibus suis
operibus. 351.


102. Quomodo omnis nostra perfec-
tio sit in Perfectione nostri Domini
DEI. 362.


dis. glorificabantur in Humanitate
 nostri Domini DEI JESU Christi
 fol. 319.
 CAP. 90. Quomodo Beati perituri glo-
 rificati in humani beatitudine. 320.


DISTINCTIO XXII


1. Beatus agitur Dominus DEI

100. Quomodo agitur Dominus DE-
 US in perfectis in sua beatitudine di-
 st. 341.
 101. Quomodo agitur Dominus DE-
 US in perfectis in omnibus suis
 dist. 342.
 102. Quomodo agitur Dominus DE-
 US in perfectis in omnibus suis
 dist. 343.









B.R.L.

Lib. Cont.

Tom. 3.

F.A.
253